DE

MIRACULORUM
CHRISTIANAE RELIGIONIS
VERITATE

ANTONII OCTAVIANI

DIATRIBA.

NEAPOLI
Typis Manfredianis

1820

Quis est autem; quem non moveat clarissimis monumentis testata, consignataque Antiquitas?

Cic. Divinat. 1. c. 40.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Miracula , insolita nimirum illa opera , quae totius Naturae vires superant , esse quemdam veluti Omnipotentis Dei sermonem , quo is utitur , cum aliquid mortalibus declarare vult , ac patefacere , recta ratio , communisque omnium sensus abunde demonstrat . Nam cum unus Deus Miracula efficere possit , quippe qui solus naturae leges immutare , atque adeo suspendere valeat ; rursusque nil ipse frustra , et incassum, utpote sapientissimus , unquam agat : haud alia de caussa illa evenire existimandum est , nisi ut homines , quae nosse ipsorum maxime interest , divinitus addiscant . Quare , ut nihil de Hebraeis , et Christianis dicam , quorum in hac re notissima est doctrina , in eadem fuere sententia cuncti Gentilitatis populi ; quemadmodum Graeci ac Latini Scriptores , Poetae praesertim , atque Historici , testatum reliquerunt . Sed praeter ceteros id aperte confirmat gravissimus auctor Cicero ; qui Philip. 4. c. 4. *diserte pronun-*

ciat:

ciat: Prodigiis, atque portentis Dii immortales nobis futura praedicunt. *Idemque docet* lib. 2. de Nat. Deor. c. 3. *addens idcirco mira dici* monstra, portenta *etc*: Praedictiones, *inquit*, et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi? Ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. *Atque isthaec fuit certe caussa, quamobrem apud ethnicos homines, cum prodigium aliquod nuntiabatur*, Oracula *statim, vel harioli, qui divinam voluntatem declararent, consuli consueverint. Hinc quoque intelligi datur, cur vetustissimi populi, qui Cometarum ortus, siderumque eclipses inter prodigia, rerum naturalium ignoratione, recensebant, tristia inde sibi portendi autumaverint.*

Quae cum ita sint, ubi plane constiterit Christum Dominum, eiusque discipulos ad Evangeli*cam probandam doctrinam Miracula edidisse, Divinam hanc, veramque esse nullus profecto sanae mentis homo inficias ire poterit. Ni enim sic se res haberet, sequeretur omnino, Deum ipsum, a quo ea miranda opera profecta sunt, humanum genus decipere, atque in errorem inducere voluisse; praesertim cum praeter Miracula nulla alia certiora suppetant indicia, quae nobis Deum loquentem patefaciant, falsamque a vera doctrinam discernere queant: quod procul dubio absurdum, atque impium est cogitare. Iure igitur, meritoque inter varia argumenta, quibus* Religio *Christiana vera ostenditur,*

Mi-

Miracula , quo nomine etiam prophetias complectimur , praecipuum apud Theologos locum sibi vindicant. Ac profecto , quanti ponderis et momenti sit eiusmodi argumentum , vel ipsi Religionis oppugnatores persentiunt ; qui propterea illud convellere , ac labefactare omni ope adnituntur . Nonnulli enim minime fieri posse Miracula , ne a Deo quidem , impie contendunt ; alii vero, maiori sane numero, Deum ea facere posse non abnuunt , at facere unquam , aut fecisse praefracte negant : quare inter utrosque convenit , Christianae Religionis Miracula inter aniles fabellas ablegenda esse .

Hos adversus non sumus quidem nescii a pluribus doctis et Catholicis viris , nostris maxime temporibus , Miraculorum caussam strenue propugnatam esse , omnesque illorum cavillationes , et sophismata plane fuisse disiecta . Verum quoniam adeo haec abundat materia , ut labori desit faber , non fabro labor , *quemadmodum Phaedrus loquitur ; ad eandem idcirco magis illustrandam , uberiusque explicandam , nostram quoque qualemcumque operam atque industriam conferre non abs re fore ducimus.*

Iam vero illud tantummodo nobis heic propositum est , ut vera prorsus exstitisse Christianismi Miracula , nec fuisse conficta probemus : quod cum planum fecerimus , inde nullo negotio ea posse fieri quivis per se colliget ; neque enim , quae fieri nequeunt , exsistere unquam possunt . Sed in asserenda Miraculorum veritate iis omnibus argumentis utemur , quae ad verum probandum quodvis histori-

cum

cum factum vulgo solent adhiberi . Omnino ex unanimi Criticorum omnium consensione , si rem aliquam narrent plures testes fide digni , in quos neque ignorantiae , neque fraudis ulla cadat suspicio ; si eam memorent etiam adversae factionis Scriptores , quorum scilicet intersit, eandem non accidisse ; si ex ea effecta aliqua , vel monumenta sequantur , quae sine illa esse , aut intelligi nequeunt : de hac historica narratione nullus dubitandi locus relinquatur , necesse est . Quod tamen non ita intelligi volo , quasi nihil certum putari debeat , nisi tria haec simul admittantur : at id solum statuo , his argumentis simul iunctis tantum firmitatis , ac roboris inesse , ut vel pervicacissimus quisque manus dare victas cogatur . Et sane quis , ut hoc exemplum proferam , nisi stupidus , ac bardus fuerit , Magnum Constantinum ex idolorum cultu ad Christiana sacra transisse ambigere ausit ? Etenim id referunt Ecclesiastici illius aevi Scriptores , Eusebius praesertim , et Lactantius . Idem quoque ex Scriptis elucet Ethnicorum hominum Eunapii , Iuliani Augusti , et Libanii , qui eadem fere aetate vixerunt , quibusque Constantini factum valde displicebat . Praeterea hoc testantur plura monumenta publica ab eo Principe relicta , Leges videlicet pro Christianis latae , Templa vero Deo excitata , Labarum , seu signum militare Christi Cruce ornatum , aliaque huius generis . Haec autem omnia ita cuiusque mentem percellere debent , ut omnem prorsus dubitationem excludant . Neque aliter quidem de no-

nostrae Fidei Miraculis iudicare nos oportet , si ad ea argumenta , quibus illorum veritas suadetur , attendere velimus. Nam sive Christianorum ea narrantium multitudinem , scientiam , et probitatem spectes ; sive adversariorum Scriptorum eadem fatentium gravissima testimonia consideres ; sive tandem mirabile inde secutum effectum animadvertas , idest celerrimam Christianae doctrinae per universum Orbem propagationem : profecto ad summam evidentiam rem totam perductam reperies.

Itaque nostram hanc disputationem in quatuor capita dispertiemur : tribus prioribus modo exposita rationum momenta , quantum in nobis erit , accurate , et copiose persequemur ; postremo vero praecipua , et potiora adversariorum obiecta adversus Miraculorum veritatem refellere conabimur.

DE

MIRACULORUM CHRISTIANISMI VERITATE.

CAPUT I.

Christianae Religionis miracula a Scriptoribus fide dignissimis enarrantur.

MIracula omnia, per quae Supremo huius rerum Universitatis Opifici Divinam Christianorum disciplinam fundare placuit, et constabilire, in duas veluti classes, pro diversa temporum, quibus acciderunt, ratione, dispesci commode posse existimamus. Prior sane illa complectitur, quae tum Christus in Iudaea edidit, tum Apostoli in cunctis Orbis terrarum regionibus, in quas Evangelii lumen inferebant, effecerunt; eaque Apostoli ipsi literis consignarunt. In altera vero ea continentur, quibus ab Apostolorum obitu singulae insignitae fuerunt Ecclesiae aetates; quaeque Ecclesiastici Scriptores passim memoriae prodidere.

Utrorumque porro testes gravissimos esse, eosque, quorum auctoritati denegari fides nequaquam possit, id quidem est, quod hoc loco demonstrandum suscipimus. Quod ut facilius praestetur, meliusque ordinis ratio sibi constet, primum hoc caput in duos articulos tribuemus.

ARTICULUS I.

Apostoli in iis, quae referunt prodigia, neque erroris, neque mendacii redarguendi sunt. Vera in primis Domini Resurrectio ostenditur, atque ab iniquis Theistarum criminationibus vindicatur.

APostolos ea, quae ad Christi res gestas doctrinamque pertinent, illis mandasse libris, quos Novum Testamentum appellamus, tam perspecta res est, atque explorata, quam quae maxime. Hos enim libros omnes omnium aetatum, ac regionum Christiani, ab Apostolorum aevo ad nostra usque tempora, semper uti veros, germanosque ipsorum foetus agnoverunt. Quo quidem argumento nil certius hominibus esse potest. Nam unde, quaeso, Ciceronis, Caesaris, Virgilii, aliorumque veterum opera genuina esse novimus, nisi quod ipsorum aetate,

te , et proxime eos consequentibus ; aliisque sibimet succedentibus temporibus, semper iisdem auctoribus sunt tributa ? Quocirca , ut si quis aureum Aeneidos poëma Virgilii esse pernegaret, haud profecto sanae mentis homo haberetur ; ita qui Novi Foederis libros minime Apostolis adscribendos esse contendunt , insani ab omnibus censeantur oportet . Imo etiam hi magis , quam ille , mihi reprehendi posse videntur : siquidem tot testes vetustos pro se citare non posset Virgilius, quot Scriptores pro Apostolorum libris testificantes tota nobis exhibet antiquitas . Etenim vix in iis Romani Imperii provinciis , quae Latine loquebantur, nobilissimus ille legebatur Poëta , ceteris vero nationibus, quae Graeco, vel barbaro sermone utebantur , ferme ignotus erat : at Apostolorum codices , ut vulgati sunt , statim in Universas Orbis regiones , in eas quoque oras et loca , quo Romanis armis penetrare non licuit , incredibili celeritate sunt perlati, atque in omnium Gentium linguas conversi . Sed in re tam manifesta pudet me diutius immorari ; praesertim cum quae huic perpetuae Christianorum consensioni opposuerunt nonnulli e Theistarum grege, ea egregie a viris doctis sint refutata . Illud tamen heic praeterire nequeo , nihil magis contra adversarios nostros facere , quam quod prisci illi acerrimi Religionis hostes Celsus, Hierocles, et Iulianus eosdem libros a Chri-

sti Discipulis conscriptos esse confessi fuere (1). Licet enim implacabili odio incitati multa in suis operibus in Christianos sint invecti, eosque mendaces et deceptores habuerint, nunquam tamen eo temeritatis processerunt, ut Evangelicos libros Apostolis suppositos esse assererent: adeo iis temporibus, Apostolorum aevo tam proximis, non Christiani modo, sed Ethnici quoque id ipsum, quo de agimus, persuasissimum habebant.

His quidem veluti fundamentis ante iactis, operae iam pretium est ostendere, admiranda opera, quae a Christo, eiusque discipulis effecta in Novo Testamento leguntur, certissima esse, et testatissima. Et quidem in exploranda alicuius historiae veritate duo esse spectanda iure optimo arbitrantur Eruditi omnes, scientiam nempe, ac probitatem historici; ex altera enim res probe scriptori compertas fuisse novimus, ex altera eum nos decipere noluisse iudicamus. Itaque si nobis constet historicum rebus, quas scribit, praesentem affuisse, aut ab aliis fide dignis, qui eas viderunt, accepisse; si praeterea illum sciamus ho-

(1) *Liquet id ex locis Celsi apud Origenem, Hieroclis apud Eusebium, et Iuliani apud Cyrillum Alexand.*

honestis moribus praeditum fuisse, nulloque partium studio, aut metu impulsum, verum solo veritatis amore ductum se ad scribendum contulisse: de huius historiae veritate nihil omnino dubii superesse potest. Sed videamus nunc, an quae de scientia et probitate diximus, in Apostolos plane conveniant. Et primo, quod ad scientiam attinet, eas Christi res Apostoli conscripserunt, quas aut ipsi viderunt, ut Matthaeus, et Ioannes; aut ab his, qui viderant, didicerunt, ut Marcus, et Lucas: quorum tamen postremus pleraque eorum, quae post Christi mortem gesserunt Apostoli, ceu testis oculatus prodidit. Deinde de iis agebatur, ad quae cognoscenda non ingenii acumen, aut reconditarum disciplinarum scientia requirebatur; sed satis erat sensus bene valentes habere, iisque uti velle. Nec porro quis dicat, homines simplices sensibus, aut phantasia deceptos fuisse. Nam istud profecto uni, non pluribus testibus contingere potuisset, nec in factis innumerabilibus, sed in uno aut altero; neque in iis, quae pluries in oculos incurrerent, admirationemque sui excitantia accuratius conspicerentur (qualia certe Christi prodigia exstitere); sed in illis tantum, quae semel festinantibus oculis cernerentur. Et sane, cum ex. gr. quinque millia circiter hominum, praeter pueros, ac mulieres, quinque solum panibus, ac duobus piscibus in solitudine aluit Christus Dominus (de

 quo

quo prodigio *Matth c. 14. Luc. c. 9. Mar. et Ioan. c. 6.*), quis tandem sensuum ludificationi esse locus potuit? Discipuli, inclinante die, Christo suadent, ut ingentem hominum turbam eum sequentem domos dimittat suas; is negat se commissurum, ut non ante capto cibo dimittantur tot hominum millia, iubetque confestim coenam parari: cumque discipuli respondeant, se quinque dumtaxat panes, ac duos pisces habere, ille nihilo secius in sententia persistens, maximam illam multitudinem herbis discumbere iubet; tum ad se allatos panes et pisces insueto miraculo multiplicat, et per discipulos discumbentibus distribuendos curat: denique postquam his epulis omnes satiati sunt, tantum colligitur reliquiarum, ut duodecim implendis corbibus abunde sufficiant. Qua ex narratione quis non videt huic celebratissimo facto inesse adiuncta tam varia, excitandaeque discipulorum attentioni tam accommodata, ut nullus error, nulla sensuum deceptio fingi queat; eoque magis quod in eiusmodi re exploranda non oculi modo, sed alii quoque sensus, ut odoratus, tactus etc. mirifice consentiant?

Id ipsum ex aliis confirmari posset miraculis, quae bene multa nobis suppeditat historia Evangelica: at ceteris omissis, de praecipuo Religionis nostrae prodigio, idest de Domini Resurrectione, pauca quaedam, ad pervi-

vicaciam Theistarum frangendam aptissima, non incommodum hoc loco auexere videtur ; siquidem de eodem copiosior mox redibit sermo . Enimvero ubi redivivus e sepulcro surrexit Servator noster, statim Magdalenae apparuit (*Marc. cap.* 16., *et Ioan. c.* 20.) ; inde aliis mulieribus e sepulcro Ierusalem redeuntibus (*Matth. c.* 28.) ; mox Petro , postea duobus discipulis Emmaus proficiscentibus (*Luc. c.* 24.) . Sed cum alii, an reapse revixisset, dubitarent, Iesus cunctis simul Apostolis, uno absente Thoma, eadem die se conspiciendum dedit : cumque adhuc illi se spectrum videre arbitrarentur, non modo manus et pedes ostendit , et contrectandos praebuit , verum coram eis quoque comedit (*Luc. c.* 24. *Ioan. c.* 20.). Octo autem post diebus iterum omnibus Apostolis se obtulit , et Thomam adhuc sociis non credentem corpus suum tangere sivit (*Ioan. cap.* 20.). Tum post aliquod tempus a plerisque visus est discipulis ad Tiberiadis lacum , ibique etiam cum iis coenare voluit (*Ioan. cap.* 21.) . Ad haec quingentis amplius discipulis Christum redivivum intueri datum esse tradidit *Paul.* 1. *ad Cor. cap.* 15. . Postremo omnibus Apostolis saepe , antequam in Coelum adscenderet , eundem apparuisse , quo illos ad omnem Ecclesiae regendae rationem institueret , discimus ex *Luc. c.* 1. *Actor.* En igitur quibus argumentis permoti discipuli Christum ab

 in-

inferis revera excitatum esse tandem crediderunt. Quae quidem omnia si sedulo quis, ac diligenter consideraverit, tantum abest, ut illos nimium credulos, ac sensuum fallaciis obnoxios iudicet, ut potius fateri cogatur, eos humanae prudentiae fines valde admodum transiluisse, et praeter omnem rationem, ne quo spectro, aut viso illuderentur, cavisse. Sed etsi adversariis concedamus, quod omnino falsum esse docuimus, Apostolos in rebus Christi gestis errare potuisse; cum tamen omnia propemodum, quae narrant, coram maxima populi multitudine, non clanculum, vel intra domesticos parietes gesta fuerint, facillime ii quidem exiguo temporis spatio errorem suum deprehendissent, nec tam temere etiam sensuum ludificationes in sua scripta infarsissent. Ut enim si quis ea, quae tota civitate inspectante eveniunt, errore ductus inficietur, brevi ex publica fama, et vulgi testimonio se lapsum esse animadvertit; ita rursus, qui phantasia deceptus ea publice facta esse existimat, quae nunquam acciderunt, is procul dubio ex aliorum omnium silentio nullo negotio deceptionis suae convincitur. Nam eiusmodi naturam habent publica facta, maxime insueta, et mirabilia, ut necessario pervulgentur, deque iis fama quaquaversus diffundatur. Ecquo igitur pacto accidere potuisse putabimus, ut Christi discipuli, si falsa prodigia per errorem lapsi an-

antea crederent , mox universam multitudinem de iis conticescere scientes , non illico veritatem detegerent , atque ab hoc errore liberarentur ?

Iam vero summa probitate , summaque fide Apostolos fuisse , atque ob eam rem homines fallere , et in fraudem inducere noluisse , plura sunt indicia firmissima . Namque ut hoc primum ponamus , ubivis in eorum scriptis mirifice effulget tum singularis candor , et simplicitas sine ullo orationis artificio , aut verborum apparatu , tum sincerus ille veritatis amor , tantopere in historico expetendus ; ut propterea Magistri sui probra quoque , atque ignominias, condiscipulorum vero vel vitia percensere non vereantur . Deinde cum admirabilia Christi , eiusque discipulorum gesta minime obscura , verum ante omnium Iudaeorum , atque Ethnicorum oculos exposita fuisse Novi Foederis Scriptores nos doceant , profecto ab omni veri specie abhorret , illos fabulosa commenta populis obtrudere voluisse ; quandoquidem ab ipsis Gentilibus, et Hebraeis , quos habebant inimicissimos , refelli et falsi accusari facillime potuissent : nemo enim vel impudentissimus adhuc inventus est , qui sine ullo emolumento, et cum tanto suo dedecore mentiri in animum induxerit . Rursus vero non modo nunquam tale aliquid Apostolis exprobrare ausi sunt Christiani Nominis hostes ; verum etiam ab illis

lis relata prodigia suis testimoniis comprobare necesse habuerunt : quod quidem suo loco fuse ostendemus. Praeterea ecquis finis, ecquae caussa iis proposita esse poterat, quamobrem ista confingere, et populis imponere constituerent? An ut opes, gloriam, utilitatem deniqne aliquam consequerentur? At neque ex mendacio apertissimo aliquid commodi sibi polliceri poterant; et ii contra humanis rebus omnibus contemtis, pericula, aerumnas, mortemque ipsam subire ultro paratissimi erant. An ut Magistri doctrinam quoquoversum facilius propagarent? At, si veram, divinamque eam existimabant, scire utique debebant, fictorum prodigiorum praedicatione gravissimo se scelere obstringendo fore; cum praesertim eadem, quam commendabant, Religio mendacium diserte vetaret. Sin autem falsa ab ipsis credebatur, suspicari oportebat, commentitia isthaec miracula novae sectae propagationi impedimento potius, quem adiumento futura. Huc et illud accedit, quod si Apostoli novam superstitionem, ut profani homines dictitant, per terrarum Orbem disseminare tantopere exoptabant, haud sane Evangelicam doctrinam adhibuissent, quam tum cupiditatibus mortalium, receptisque gentium moribus adversari, tum in aliquibus rebus humanam rationem superare non ignorabant: verum potius alia dogmata, alia praecepta comminisci sategissent, quae ad vitae consuetudi-

nem,

nem, opinionesque populorum essent quam maxime accommodata; aliter enim nil magis ipsis erat timendum, quam ne suscepta res infeliciter prorsus cederet. Fortasse dicent, eos nimio Magistri amore abreptos tantam operis difficultatem minime attendisse. Sed quis credat, homines sui compotes id consilii capere voluisse, quod et optato careret effectu, et semet in apertum capitis discrimen vocaret? Nam nullo pacto sperare poterant fore, ut ipsi rudes, et idiotae, nullis eloquentiae praesidiis muniti, omnique ope destituti, omnium quaecumque humanae menti fingere unquam licuit, maxime arduum opus perficerent; cuiusmodi erat vetustissimas nationum religiones evertere, inveteratas ex animis opiniones evellere, homines denique totos immutare, atque alios facere. Néc porro illos fugiebat, non unos Iudaeos, quorum tamen invidiae succubuerat Magister, sed cunctos populos, philosophos, magistratus, Principes ipsos sibi gravissimos adversarios esse paratos, et constitutos. Nonne igitur citius extrema omnia mala sibi metuenda erant, quam quidquam eorum, quae animis destinaverant, praestare se posse arbitrarentur? Nisi forte et hoc adversariis in mentem venit, Christi discipulos subito quodam furore correptos fuisse: qua quidem re nihil magis ab omni fide alienum dici unquam potest. Etenim primum haud est credibile, istum furorem cunctos Domini di-

discipulos , qui non pauci erant , eodem tempore invasisse , in iisque toto vitae spatio ad obitum usque perseverasse. Deinde qui huic insaniae , et furori congruit tam sublimis illa , et sancta Apostolorum doctrina, ad quam nunquam nobilissimorum Graeciae philosophorum scholae pertingere valuere ? Mitto cetera , quae adversum istam monstrosam sententiam in proclivi esset afferre.

Verum , ut omnia alia nobis argumenta deessent, quibus Apostolos quavis falsi, et fraudis suspicione purgaremus, illud certe satis esset, quod futurorum praedictiones in Novo Testamento memoratae nobis praebent. Eae quidem non sunt flexiloquae , et obscurae , sed luculentissimis expressae verbis ; quarumque veritatem exitus comprobavit . Unam tantum proferam , quae Hierosolymorum spectat obsidionem , et excidium (*Matth. cap.* 24. *Mar. cap.* 13. *Luc. cap.* 19. *et* 21.). Certe universa illa teterrima mala , quae tunc temporis perpessi sunt Iudaei , iisdem , ut ita dicam , verbis quadraginta ante annis praesignificavit Christus , quibus Iosephus in suis *de Bello Iudaico* libris descripsit . Imo nonnulla in hac vaticinatione leguntur , quae nemo , nisi Divino afflatus spiritu, praenunciare potuisset. Quis enim mortalium solis ingenii viribus tot ante annis Hierosolymitanae eversionis tempus certum praenovisset , *non praeteribit generatio haec , donec omnia*

omnia fiant (*Matth. Marc. Luc. cit. capit.*) ? Quis ingentes Iudaici templi substructiones ita dirutum iri praesensisset, ut nec lapis super lapidem relinqueretur (ibidem) ? Nam quod regerunt, Evangelia non esse germana Apostolorum opera, sed post Hierosolymitanam ruinam eorum nomine vulgata, id paradoxon satis superque est a nobis supra refutatum. Quapropter vera esse, quae in Apostolorum libris reperiuntur, eosque omni vel levissima suspicione fraudis carere, concludamus oportet. Pudeat igitur Theistas tam abiecte, et contemtim de Servatoris Nostri discipulis sentire, virosque veri amantissimos, et sanctissimos cum circulatoribus, et circumforaneis hominibus impie conferre.

Iam non pauca sunt, quibus Novi Foederis miracula impetere conantur adversarii; nos autem alio reiectis, quae ad miracula generatim spectant, illa tantummodo hoc capite excutiemus, quae adversus Christi Resurrectionem, nostrae Religionis firmamentum, obiici solent. Et primo quidem aiunt fieri non posse, ut semel mortuus pristinam recipiat vitam: perinde quasi suprema illa Mens, et rerum omnium Caussa, quae initio corpus humanum cum animo arctissime copulavit, hasce duas divulsas ac separatas naturas post mortem, eodem inter se vinculo denuo coniungere, et consociare nequeat. Addunt deinde discipulos Ma-

gi-

gistri corpus surripuisse, moxque in vulgus iactasse, illum resurrexisse. Sed tantam rem cogitasse, ac perfecisse timidos ignavosque homines, Romano contemto praesidio ad sepulcrum collocato, quis sibi persuadeat? nisi forte credimus, qui triduo ante, vivo Magistro, timore perculsi omnes fugerunt, eos, illo amisso, repente animosissimos, atque audacissimos esse factos. Sed ista leviora sane sunt, quam ut longa refutatione egeant. Illud tamen gravioris esse momenti videtur, quod praeterea opponunt, Christum reviviscentem Senatui Hierosolymitano, et Pharisaeis suis inimicis apparere debuisse, ut ita eorum perfidiam, et pertinaciam perfringeret: quod cum non fecerit, inde conficiunt non resurrexisse. Hoc argumento, quo olim Christianos Ethnici impugnabant (*Orig. contra Cels. lib.* 2.), mirum quantum nuperi Fidei hostes triumphare videntur. Sed licet nobis homulis, ex argilla lutoque factis, Divinae Providentiae arcana indagare, et perscrutari haud fas esse intelligamus; ex aliis tamen Servatoris factis, et dictis, cur quod isti volunt, non fecerit, facile investigari posse putamus. Sane Christus, ut ex *Matth. cap.* 12. *et* 16. accepimus, bis diverso tempore a Pharisaeis rogatus, ut prodigium aliquod e Coelo ederet, constanter istud negavit; quippe cum videret illos non idcirco id postulare, ut veritatem comperirent, sed ut maiorem hinc obtre-

trectandi occasionem nanciscerentur. Tanta enim, et tam multa a Christo ante perpetrata miracula aut ipsi viderunt, aut ex certissima hominum fama cognoverunt; ut ni mens caeca, et laeva fuisset, Divinam in eo naturam, et potentiam suspicere omnino debuissent. Ob eandem quoque caussam existimare licet, Christum Dominum post Resurrectionem Senatui Hierosolymitano sibi infensissimo apparere noluisse. Nam cum hic cognita, ac perspecta haberet innumera Iesu prodigia, et duo praesertim celebratissima, quae paullo ante mortem effecerat, cum scilicet et caecum natum lucis usura donavit, et Lazarum quatuor iam dies mortuum vitae restituit; non modo illum uti Messiam, quemadmodum oportebat, non complexus est, sed etiam odio, et invidia flagrans ad eiusdem perniciem omnem operam contulit. Ceterum uti Christum in Senatus Iudaici, aliorumque inimicorum conspectum minime prodiisse fatemur; ita indubiis argumentis Resurrectionem suam iis quoque testatam fecisse contendimus. Et quidem quid militum sepulcri custodum testimonio certius, ac firmius haberi potuit? Erant hi non Iudaei genere, sed Romani, quos eo consilio ad sepulcrum collocarat Praeses, ne Christi corpus surriperetur. Cum igitur Praesidis milites prodigia, quae resurgente Domino acciderant, Principibus Sacerdotum nuntiassent (*Matth. c.* 28.); nil profecto fuit,

fuit, quod de eorum fide dubitare cogeret. Neque enim suspicari poterant, illis aut pecunia corruptis, aut somno oppressis, Apostolos Magistri corpus sustulisse: vel si id suspicabantur, intelligi nequit, cur nec statim Christi discipulos comprehendentes ad illius corpus reddendum adigerent, et custodes milites impune abire paterentur. Ad haec, cum post Christi Adscensionem celebrem illum claudum, tota inspectante civitate, in Templo Petrus repente sanavit, populumque circumfusum docuit, nomine et virtute Iesu, a mortuis excitati, tantum prodigium effectum esse (*Actor. cap.* 3.) ; nonne Iudaico Senatui Resurrectionis Domini testimonium dedit locupletissimum? Omnino adeo evidens fuit id miraculum, ut ipsi Senatores in Concilio dicere sint coacti : *manifestum est, et non possumus negare* (*Actor. c.* 4.). Sed adeo ira, et malevolentia in Christum eos incesserat, ut nullis quamvis exploratis prodigiis ad veritatem agnoscendam se adduci unquam sint passi, rati scilicet Apostolos, ipsorumque Magistrum non Divina virtute, sed Daemonis ope mirabilia opera patrasse. Atque hinc etiam noscere datur, vehementer falli adversarios nostros, cum opinantur, si suis inimicis se vivum post mortem ostendisset Christus, omnes profecto ab impietate, et pertinacia discessuros fuisse. Nam spectrum aliquod, magicis carminibus evocatum, sibi adfuisse arbitrati essent ; que-

quemadmodum eorum posteri, duobus post saeculis cum Pionio Martyre Smyrnae de Domini Resurrectione disputantes, asserere sunt ausi, ut ex eiusdem Pionii actis apud Ruinartum discimus. Certe quidem non magis illos movisset Christi ab inferis excitati conspectus, quam movit Lazari resurgentis prodigium: cuius fama cum per omnem Iudaeam permeasset, Servatorem nostrum morte affici sine mora oportere statuerunt. Atque haec de Novi Testamenti Miraculis sufficiant.

ARTICULUS II.

Veterum Patrum, aliorumque Ecclesiae Scriptorum de suorum temporum miraculis testimonia recensentur. Eorum auctoritas gravissima demonstratur.

ADmirabilem illam mira efficiendi vim, ac facultatem, qua Ecclesiam ornatam fuisse Apostolorum aevo Sacrae Paginae testantur, minime post eorum decessum in ipsa exaruisse, verum secutis temporibus etiam viguisse, Ecclesiasticis cuiusque aetatis monumentis erudimur. Id autem quantum roboris, ac momenti habeat ad Christianae Doctrinae divinam originem declarandam, et ad Theistarum temeritatem compescendam, neminem esse, qui non videat, ar-

bitramur. Itaque magnum operae pretium nos facturos confidimus, si huiusmodi argumentum non cursim, ac breviter attingamus, sed uberius et fusius pro rei dignitate, atque utilitate pertractemus. Et quoniam non aliunde, nisi ex unius auctoritatis fonte huius rei veritas hauriri debet; idcirco in eo praecipua n bis cura ponenda esse videtur, ut quamplurima testimonia ex Ecclesiasticis Scriptoribus depromta in medium proferamus. Verum in congerendis Auctorum locis non ultra quinque priora saecula labor noster excurret: non quo subsecutis temporibus vim istam portentificam desiisse putemus; ea enim perstat adhuc, perpetuoque in Ecclesia perstabit: sed quia cum haud magni ad nostrum institutum intersit sequiores aetates cum lectorum fastidio perlustrare; tum vero frequentiora, et crebriora prioribus illis saeculis fuere miracula, testesque habuerunt eruditione, atque ingenio praestantiores, quorum auctoritatem non tam facile adversarii contemnent.

Atque ut a primo ordiamur Saeculo, ipsis Apostolorum temporibus maxime tota Ecclesia celebris fuit Thecla Virgo, ab Apostolo Paullo Christianam fidem edocta. Ea quidem cum accusata, quod Christum coleret, morte damnata esset, illaesa primum ab igne, mox a feris divino beneficio servata est, sicut ex vetustissimis illius Martyris actis nobis tradiderunt il-

lu-

lustriores quarti saeculi Patres, idest Methodius *in Conv. Virgin.* Nazianz. *Carm.* 3. *ad Virg. et exhortat. ad Virgines* . Ambrosius *de Virg, lib.* 2. *c.* 3. *et epist.* 63. *ad Eccles. Vercellen. edit. Bened.* Hoc quoque saeculo librum Pastoris edidit Hermas Apostolorum discipulus; qui etsi a nonnullis veteribus ut Canonicus liber falso citatur , valde tamen utilis est , atque olim in quibusdam Graecis Ecclesiis publice legebatur , teste Hieronymo *cap.* 10. *de Viris Illust.* Hermas igitur *part.* 2. *Mand.* 11. *et* 12. e Fidelibus nonnullos, qui Spiritu Dei res futuras erudirentur , fuisse sua aetate affirmat; simulque viam, et rationem ostendit , qua a falsis veri discerni possent Prophetae . Ab Herma ad Ignatium Antiochensem Episcopum , alterum Apostolorum discipulum, tota Ecclesia celeberrimum, gradum faciamus . Is *in Epist. ad Romanos* , quam cum aliis , quas genuinas habemus, ineunte altero saeculo paullo ante Martyrium scripsit , de feris loquens , a quibus devorari cupiebat, illas nonnullos Christianos attingere non ausas esse his docet verbis (1) : *Quas etiam alliciam ad me devorandum , non sicut nonnullos metuentes non attigerunt.* Ad secundum

(1) Α' *και κολακευσω συντομως με καταφαγειν, ουχ ώσπερ τινων δειλαινομενα ουχ ἥψαντο.*

dum quoque saeculum pertinet *Epistola Ecclesiae Smyrnensis de Polycarpi martyrio*, pretiosum sane antiquitatis monumentum; in qua miracula, quae insignis illius Smyrnensis Antistitis mortem sub M. Aurelio nobilitarunt, ita referuntur (1): *Cum ingrederetur in stadium Polycarpus, vox e Coelo audita est: Esto fortis, et viriliter age, Polycarpe . . . . Magna autem accensa flamma, hoc prodigium vidimus . . . . Ignis enim fornicis speciem praebens, velut velum navigii vento inflatum, undique cinxit Martyris corpus . . . Tandem igitur videntes impii non posse eius corpus igne absumi, confectorem ad eum accedere, et gladio transfigere iusserunt. Quo facto, exiit columba, et tanta sanguinis copia, ut ignem extingueret*. Eodem tempore, quo Polycarpus, sanguinem pro Christo profudit Iustinus Philosophus: qui non semel in suis operibus miracula

---

(1) Τῳ δε Πολυκαρπῳ εισιοντι εις το σταδιον φωνη εξ ουρανου εγενετο· ισχυε, και ανδριζε Πολυκαρπε..... Μεγαλης δε εκλαμψασης φλογος, θαυμα μεγα ειδομεν... Το γαρ πυρ καμαρας ειδος ποιησαν, ὡσπερ οθονη πλοιου ὑπο πνευματος πληρουμενη, κυκλῳ περιετειχισε το σωμα του μαρτυρος . . . Περας ουν ειδοντες οἱ ανομοι ου δυναμενον αυτου το σωμα ὑπο του πυρος δαπανηθηναι, εκελευσαν προσελθοντα αυτῳ κομφεκτορα παραβυσαι ξιφιδιον. Και τουτο ποιησαντος, εξηλθε περιστερα, και πληθος αἱματος, ὡστε ανασβεσαι το πυρ.

cula apud Christianos usitatissima suo aevo fuisse testatur. Unum locum tantum seligam *ex Dial. cum Tryphone Iudaeo n.* 39. ubi de recens ad Christum conversis ait (1) : *Qui dona accipiunt, singuli sicut digni sunt, illuminati per nomen huius Christi : alii enim accipiunt spiritum intelligentiae, alii consilii, alii fortitudinis spiritum, alii vim morbos sanandi, alii futurorum praenotionem, alii doctrinam, alii Dei timorem.*

Iustino proximus aetate fuit Theophilus Antiochenus Praesul, cuius adhuc supersunt libri ad Autolycum scripti. Hic sub initium libri 2. Fidelium potestatem in immundos Spiritus sic commemorat (2) : *Obsessi a Daemone interdum etiam nostris temporibus exorcismis sanantur per nomen vere exsistentis Dei, et ipsi deceptores spiritus fatentur se Daemones* (*) . Sed nil ad rem,

B 3 qua

(1) Oi και λαμβανουσι δοματα ἑκαςος, ὡς αξιοι εισι φωτιζομενοι δια του ονοματος του Χριςου τουτου· ὁ μεν γαρ λαμβανει συνεσεως πνευμα, ὁ δε βουλης, ὁ δε ισχυος ὁ δε ιασεως, ὁ δε προγνωσεως, ὁ δε διδασκαλιας, ὁ δε φοβου του θεου.

(2) Οἱ δαιμονωντες ἐνιοτε και μεχρι του δευρο εξορκιζονται κατα του ονοματος τοῦ οντος θεου, και ὁμολογει αυτα τα πλανα πνευματα ειναι δαιμονες.

(*) *Non dubito, quin Miraculorum hostes, cum eos omnes, quos veluti a Daemone agitatos nobis prodidit Antiquitas, non fuisse nisi melancho-*

qua de agimus, probandam opportunius est, atque

---

cholicos, et furiosos opinentur, me carpant, atque irrideant, quod non pauca priscorum Ecclesiae Scriptorum loca huc congesserim, quae Energumenorum sanationes inter praecipua Christianorum prodigia referunt. Sed istos maxime sua opinione falli quivis perspiciet, si haec, quae praecipienda videntur lectoribus, diligenter considerentur. Ac primo Veteres melancholiam, et furorem optime a Daemonum vexatione distinxisse tum aliorum loca demonstrant, tum praesertim Theodoretus, qui cum in Histor. Relig. *multos ab immundis spiritibus liberatos commemorasset, de quibusdam dubitatum esse scribit, num vere a Daemone agerentur, an naturali morbo laborarent. Verum cum iidem ea a pluribus fieri cernerent, quae et naturae humanae vires prorsus praetergrederentur, neque tamen Deo tribui recte possent, ut linguis ignotis loqui, e terra pedibus supinis attolli, aedificia nutu evertere, aliaque id genus; merito nefariis spiritibus ithaec adscribenda censuerunt. Veterum testimonia huc spectantia postremo nos producemus capite; quo scilicet loco adversariorum argumentis adversus miracula obviam ire decrevimus. Quod si quandoque Ecclesiastici Auctores melancholicos homines pro Daemoniacis perperam acceperunt, haud rite ex eo quis colliget, nullos unquam Daemoniacos exstitisse:*

que aptius, quam egregius Irenaei locus *lib.* 2.

 ad-

---

se: quemadmodum si quis errore ductus falsum pro vero aurum acciperet, nemo certe inde nullum verum aurum exsistere sequi putaret. Praeterea hanc vim Daemonum expultricem in Ecclesia agnoverunt ipsi teterrimi Religionis oppugnatores Celsus, et Iulianus, ut ex eorum apud Orig. et Cyril. Alex. fragmentis elucet: qui tamen si Christianos in ea re errare, atque a communi mortalium sensu dissentire vidissent, hanc illis dicam impingere haud veriti essent. His addatur illustrium Ethnicorum Philosophorum auctoritas, quibus Cacodaemonum insectatio haudquaquam latuit. Et sane Plutarchus lib. de Orac. defectu *sub finem tradit, quamdam Pythiam sua ferme aetate a spiritu malo, et muto correptam, atque intra paucos dies ad mortem adactam fuisse. Nec non* Iamblichus *sect.* 2. *de Myst. cap. 6. Daemones hominum corpora opprimere, morbosque in iis gignere his docet verbis:* H' δε των δαιμονων (επιφανεια) βαρει μεν το σωμα, και νοσοις κολαζει *etc. Deniquè etiamnum, licet rarius, Energumenorum exempla conspiciuntur; quorum duo modo a gravissimis Scriptoribus mutuati heic proponemus. Unum auctores habet Benedict. PP. in animadversionibus* ad caput. 8. lib. S. Hilarii adversus Constantium; *quod suis temporibus in Lotharingia evenisse affirmant. Alterum vero ocula-*

tus

advers. Haereses c. 32. ubi illustris Martyr, qui exeun-

---

tus testis suppeditat. Cl. Eduardus Corsinius ; quem sane cum philosophicis commentariis , tum in primis egregiis philologicis lucubrationibus amplissimum sibi iu literaria Republica anteacto saeculo nomen comparasse omnes norunt . Is igitur tam gravis Vir Tom. 4. Instit. Philosoph. Disput. 2. Metaph. cap. 1. *postquam dixit se exempla energumenorum singula a Scriptoribus memorata minime credere , atque hoc in genere plerasque fraudes , ac fabulas irrepsisse ; subdidit tamen negari non posse , aliquos a Daemone obsessos reperiri , ita demum concludens : „ Aut si cui fortasse negare li-„ ceat , mihi certe non liceat , qui nuperrime vi-„ derim mulierem non miris modo corporis agita-„ tionibus contorqueri , secreta aliorum , de quibus „ interrogabatur , prodere ; accensas , remotissi-„ masque faces , dum iuberetur , extinguere , ite-„ rumque iussa exstinctas illas accendere ; patrii „ solum idiomatis gnaram Latine , et Gallice cla-„ re , apposite , nitide , distincteque respondere , duo-„ decim denique characterum species , quales a duo-„ decim Scriptoribus efformarentur , cum neque le-„ gere , neque scribere prorsus sciret , exarare „. Porro frequentiores fuisse priscis Ecclesiae saeculis huiusmodi Daemonum aggressiones nulli mirum videri debet , quicumque animo reputaverit , idcirco tunc*

exeunte saeculo secundo floruit, admodum frequen-
tia

---

tunc temporis immundis spiritibus in hominum corpora ampliorem potestatem divinitus datam esse, ut deinde fugati, atque eiecti per Fidelium preces illustriorem, et manifestiorem Religionis Christianae veritatem Ethnicis facerent. Sed vide, quae de Energumenis infra adiicientur.

Nec absimili pacto advertendum est, imprudenter nimis agere Theistas, ne gravioribus utar verbis, dum nulla et olim fuisse, et nunc esse Magica opera, non prius explorata re, statim iudicant. Nam cum in iis asserendis non Christiani modo, atque Hebraei, sed universi quoque Gentiles *populi sive Graeci, sive barbari, imo etiam cuncti Philosophi, si Epicureos excipias, omni aetate consenserint; quis, rogo, universos prorsus omnium saeculorum homines phantasia deceptos, et transversos actos fuisse simile vero existimabit? Quod quidem ideo posui, ne quis doctissimos Ecclesiae Patres naso suspendat adunco, illudatque, quod sanctissimo Crucis signo, vel Iesu nomine veneficia, magorumque cantiones aboleri dixerint. Omnino in hoc negotio, ex sapientissimorum Virorum sententia, eiusmodi adhibendus est modus, et ratio, ut neque omnia, quaecumque narrantur, facile credamus, nec rursus omnia velut ficta explodamus; sed singula, antequam iudicium feratur,*

ad

tia fuisse docens tunc temporis prodigia in Ecclesia, haec habet (1). *Alii Daemones eiiciunt firmiter, et vere, ut etiam saepe credant illi ipsi, qui liberati sunt a malis spiritibus, et Ecclesiae aggregentur: alii autem praescientiam habent futurorum, et visiones, et dictiones propheticas: alii vero aegrotos per manuum impositionem curant, et sanos efficiunt: iam vero, sicut diximus, et mortui*

---

ad severissimae Critices normam exigamus. Ceterum, ut vera concedantur, quae adversarii nostri iactant, damna ab aliis hominibus illata, aut vitiosas corporum affectiones, imperite olim Daemonum efficientiae adscriptas fuisse; haec profecto ipsorum caussae nullo pacto suffragari valent. Cum enim isthaec mala, atque incommoda per Crucis signum, nulla imposita mora, ac temporis momento a Christianis sublata, ac depulsa praedicentur, nil prohibere certe potest, quominus in magnorum prodigiorum numero ea effecta habeantur.

(1) Οἱ μεν γαρ δαιμονας ελαυνουσι βεβαιως, και αληθως, ὡστε πολλακις και πιστευειν αυτους καθαρισθεντας απο των πονηρων πνευματων, και ειναι εν τῃ εκκλησιᾳ· οἱ δε και προγνωσιν εχουσι των μελλοντων, και οπτασιας, και ῥησεις προφητικας. Αλλοι δε τους καμνοντας δια της των χειρων επιθεσεως ιωνται, και ὑγιεις αποκαθιστασι· ηδη δε, καθως εφαμεν, και νεκροι ηγερθησαν, και παρεμειναν συν ἡμιν ἱκανοις ετεσιν.

tui revixerunt , *et nobiscum permanserunt pluribus annis* .

Porro tertio saeculo plures huius rei sat fide digni nobis occurrunt testes: quorum sane primus est citandus Tertullianus Afer , quippe qui sub eius saeculi initium diem obiit supremum . Scriptor hic ingenio , atque eruditione clarissimus *lib. de Spectac. c.* 29. a ludis spectandis fidelium animos avocare satagens : *Quae*, inquit , *maior voluptas* , *quam fastidium ipsius voluptatis* , *quam saeculi totius contemtus* , *quam vera libertas* , *quam conscientia integra* , *quam vita sufficiens* , *quam mortis timor nullus* , *quod calcas Deos nationum* , *quod Daemonia expellis* , *quod medicinas facis* , *quod revelationes petis* , *quod Deo vivis* ? *Hae voluptates* , *haec spectacula Christianorum sancta* , *perpetua* etc. Quibus e verbis aperte colligitur ea prodigia valde familiaria Christianis Tertulliani aetate fuisse . Id ipsum quoque eiusdem Auctoris *liber ad Scapulam* significat ; cap. enim 4. ita scribit : *Quanti honesti viri* (*de vulgaribus enim non dicimus*) *aut a Daemoniis* , *aut a valetudinibus remediati sunt? Ipse etiam Severus* , *pater Antonini* , *Christianorum memor fuit: nam et Proculum Christianum Evhodi procuratorem* , *qui eum per oleum aliquando curaverat* , *requisivit* , *et in Palatio suo habuit usque ad mortem eius* . Tertulliano subiicimus Minucium Felicem, eiusdem scilicet aetatis Scriptorem, atque etiam in Africa , ut creditur , ortum . Ipse in Dia-

lo-

logo, qui inscribitur Octavius, de miro agens imperio, quod in Daemones exercebant Christiani, ut illos sua quoque probra confiteri cogerent: *Haec,* ait, *sciunt plerique, pars vestrum, ipsos Daemones de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, et orationis incendio de corporibus exiguntur*. De eadem in Daemones potestate, nec non de aliorum miraculorum virtute, qua fideles iisdem temporibus pollebant, etiam splendissimum Ecclesiae lumen Cyprianus Carthaginensis Episcopus (qui, imperante Valeriano, fidem Christianam suo sanguine consignavit) in epist. ad Donatum ita diserte verba facit: *Dei est, Dei est omne, quod possumus. Inde vivimus, inde pollemus, inde sumto, ac concepto vigore, hic adhuc positi futurorum indicia praenoscimus*. Et post nonnulla: *Inde iam facultas datur castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute sincera in medelam dolentium posse venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes reddita sanitate purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos, et erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, ut recedant duris verberibus urgere*. A Cypriani aetate haud distat Origenes Alexandrinus, omnium sui temporis Eruditorum, si doctrinae laudem, ingeniique praestantiam spectes, facile princeps; cuius quidem luculentissimum in hanc rem testimonium habemus *lib.* 3. *contra Celsum num.*

24.

24. (1) : *Nos vero*, inquit, *aperte ostendimus multitudinem Graecornm, et Barbarorum Christum sequentium. Nonnulli autem accepisse se aliquid admirandum propter hanc fidem significant in iis, quos curant, nil aliud super aegrotis invocantes, quam Universorum Deum, et Iesu nomen, recitando etiam eius Evangelium. His enim et nos vidimus multos a gravibus incommodis liberatos, et mentis alienatione, et furore, et aliis sexcentis, quae neque homines, neque Daemones sanaverant.* Vides heic Originem non modo de prodigiorum frequentia meminisse, verum etiam se illorum testem oculatum affirmare : quam ipsam miraculorum facultatem pluribus eiusdem operis locis repetit. Sed et idem praeterea declarat *Tom.* 20. *Commentar. in Ioan. Edit. Bened. n.* 28. ubi postquam Iudaeos perperam, et iniuria Daemonis virtuti Christi miracula tribuisse dixit, haec

---

(1) Ἡμεις εναργως δεικνυμεν αμυθητον το πληθος Ἑλληνων τε, και βαρβαρων ὁμολογουντων τῳ Ιησου. Τινες δε σημεια του ειληφεναι τι δια την πιστιν ταυτην παραδοξοτερον επιδεικνυονται, εν ὁις θεραπευουσι· ουδεν αλλο καλουντες επι τους δεομενους θεραπειας, η τον επι πασι θεον, και το του Ιησου ονομα μετα της περι αυτου ἱστοριας. Τουτοις γαρ και ἡμεις εωρακαμεν πολλους απαλλαγεντας χαλεπων συμπτωματων, και εκστασεων, και μανιων, και αλλων μυριων, ἁπερ ουτε ανθρωποι, ουτε δαιμονες εθεραπευσαν.

haec subdit (1) : *Neque enim* (Daemon) *potest caecorum oculos aperire, vel haec signa efficere, quae scripta sunt : quorum vestigia, et reliquiae in Ecclesiis nomine Iesu ad haec usque tempora manent*. Nil est autem, cur hoc loco sileamus omnis generis prodigia notissima a Gregorio Neocaesareensi, Origenis discipulo, edita; quorum splendore, et multitudine tum Thaumaturgi cognomen est adeptus, tum quoque ab ipsis Fidei hostibus, auctore Basilio Magno, alter Moses habitus fuit. Ea quidem memoriae prodiderunt, praeter alios e veteribus, idem Basilius *lib. de Spir. Sancto cap.* 29. et copiosius eius frater Gregorius Nyssenus *in vita Thaumat*. Et licet hi duo Scriptores, indidem Cappadocia orti, centum post Gregorium Neocaesareensem vixerint annis; quin tamen ex antiquioribus monumentis celeberrimi illius Viri res gestas petiverint, haud dubitandum videtur. Postremus tertii saeculi Auctor est Arnobius genere Afer, qui ex Ethnico Christianus factus, septem adversus Gentes libros elucubravit; quorum in primo ait Iesum etiam suo aevo fideli-

(1) Ουδε γαρ δυναται τυφλων οφθαλμους ανοιξαι, η ταυτα τα σημεια ποιειν, ἁ και αναγεγραπται· ὡν και ἰχνη, και λειμματα εν ταις εκκλησιαις ονοματι Ιησου μεχρι νυν γινεται.

libus se conspiciendum dare, sanctumque eius nomen irritos Magorum reddere conatus. En ipsius verba: *Qui* (Iesus) *iustissimis viris etiam nunc impollutis, ac diligentibus se non per vana somnia, sed per purae speciem simplicitatis apparet; cuius nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, sed maioris licentia potestatis.*

Iam, quod ad quarti Saeculi miracula attinet, longe maiori numero nobis praesto sunt illorum testes, iique gravissimi. Ac primo Eusebium Caesareensem producamus oportet, qui ut aetate, ita omnigenae eruditionis fama ceteros omnes antecessit. Sane is *comment. in Psal.* 87: saepe fieri miracula ad Christi templum in eo loco exstructum, ubi ipsius erat sepulcrum, hisce refert verbis (1). *Si quis vero mentem ad ea mira adverterit, quae nostra aetate apud sepulcrum, et Ecclesiam Servatoris effecta sunt, vere noverit, quemadmodum rebus ipsis comprobatae sint praedictiones.* Nec vero solum generatim, et uni-

---

(1) Ει δε τις νουν επιστησειε τοις καθ' ἡμας αμφι το μνημα, και το μαρτυριον του σωτηρος ἡμων επιτελεσθεισι θαυμασιοις, αληθως εισεται, ὅπως πεπληρωται εργοις τα τεθεσπισμενα.

universe miracula sui temporis indicare sat habet doctissimus Praesul; verum etiam quaedam ex iis singillatim notare, ac posteritati commendare in suis operibus studet. Ut ecce lib. 8. *Histor. Eccles. cap.* 7. tradit, Martyres quosdam apud Tyrum in immani illa Diocletiani persecutione bestiis voracissimis obiectos fuisse; at istas longo temporis spatio nec eos attingere, nec propius accedere ausas, tandem in alios, qui a Christi Fide alieni ipsas instigarant, furorem suum convertisse: additque, dum haec gererentur, se praesentem affuisse, divinamque Christi potentiam perspexisse. Tum apud eundem lib. 2. *de Resurrect. de Ascens. Domini* sub initium legimus, Romano Diacono ignis supplicio Antiochiae damnato, ingentem repente coortam pluviam, et grandinem ignem restinxisse, cumque illi recisa esset lingua, tamen loqui melius, quam ante, perrexisse; atque haec prodigia non modo coram ingenti Iudaeorum, et Gentilium multitudiue esse peracta, sed ad Diocletiani quoque, qui tunc Antiochiae erat, aures pervenisse. Sed illud inprimis memoratu dignum, quod de Cruce lucida in coelo a Consantino, eiusque exercitu conspecta narrat Eusebius lib. 1. *de vita Costant. cap.* 22. Nil hoc portento apud omnes Ecclesiasticae historiae Scriptores celebratius, nihil vulgatius. Neque unus solum Eusebius huius rei meminit, sed etiam Lactantius in lib.

lib. *de mort. persecut. cap.* 44. ambo auctores *συγχρονοι*, et Constantini familiares; ut Socratem nunc taceam, et Sozomenum, et Theodoretum, qui longo post intervallo floruere. Quin etiam, quod caput est, ethnicae superstitionis homo Nazarius *in Panegyr.* ad Constantinum Augustum idem mirabile factum, licet aliquantum, more gentilium, immutatum, satis per haec verba expressit: *In ore denique est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos prae se ferrent . . . . coelestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, ut tui crederentur. Haec ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio*. Ecquo enim alio spectare possunt coelestes illi exercitus, fulgentibus armis ornati, auxilioque Constantino missi, nisi ad prodigiosam Crucem, quae veluti certum victoriae pignus in aëre Constantino, eiusque copiis apparuit?

Post Eusebium, Athanasii Alexandrini, et Cyrilli Hierosolymitani summa proferenda est auctoritas. Horum prior invictus Catholicae Fidei adversus haereticos defensor, plures per S. Antonium Monachorum parentem vel a Daemonis vexatione, vel a morbis liberatos esse, *in eius vita* enarrat. Idemque in *Orat. de Incarnat. Verbi Dei num.* 48. summum esse Crucis imperium in Daemones declarat, cunctosque Ethnicos eius rei periculum facere iubet his

C ver-

verbis (1): *Veniat vero haec, quae diximus, experiri cupiens, et in ipsis Daemonum praestigiis, et Oraculorum fallacia, et Magiae prodigiis, utatur Crucis a se irrisae signo, Christum nominans solum; et videbit quomodo per ipsum Daemones fugiunt, oracula cessant, ars magica omnis, et veneficia evanescunt*. Alter vero, nimirum Cyrillus, de mira Crucis vi, et efficientia eadem prope, quae Athanasius, praedicat, cum inquit *Catech.* 13. *n.* 40. (2): *Hoc* (crucis signum) *usque ad nostra tempora morbos sanat : hoc usque ad nostram aetatem Daemones expellit, et veneficiorum, et carminum magicorum fallacias evertit*. Et in *Homil. in Paralyt. n.* 16. inter sui temporis prodigia Daemonum expulsionem, morborum curationem et futurarum rerum cognitionem recenset.

Dum autem in Aegypto, et Palaestina Ecclesiam suis egregiis scriptis illustrabant Atha-na-

---

(1) Ἡκέτω δὲ ὁ πεῖραν τῶν προλεχθέντων βουλόμενος λαβεῖν, καὶ ἐπ᾽ αὐτῆς τῆς φαντασίας τῶν δαιμόνων, καὶ τῆς τῶν μαντείων ἀπάτης, καὶ τῶν τῆς μαγείας θαυμάτων, χρησάσθω τῷ σημείῳ τοῦ γελωμένου παρ᾽ αὐτοῖς σταυροῦ, τὸν Χριστὸν ὀνομάσας μόνον· καὶ ὄψεται πῶς δι᾽ αὐτοῦ δαίμονες μὲν φεύγουσι, μαντεῖα δὲ παύεται, μαγεία δὲ πᾶσα, καὶ φαρμακεία κατήργηται.

(2) Τοῦτο μέχρι σήμερον θεραπεύει νόσους· τοῦτο μέχρι σήμερον δαίμονας διελαύνει, φαρμακῶν τε, καὶ ἐπαοιδῶν ἀνατρέπει γοητείας.

nasius, et Cyrillus; interea in Cappadocia doctrina, et sanctitate percelebres exstitere Basilius Magnus, et uterque Gregorius, Nazianzenus, et Nyssenus Basilii frater: qui quidem omnes in prodigiis suorum temporum laudandis mirifice conspirant. Ex iis Basilius *in epist. 31. edit. Bened. ad Eusebium Samosatenum* scripta, quosdam in Ecclesia fuisse sua aetate significat, quos insigni munere aegrotos sanandi Deus dignatus erat. Et in *epist. 42. ad Chilonem* scribit, aegrotos domos suas invitare Ascetas consuevisse, quo illorum precibus sanitatem reciperent. Gregorius vero Nazianzenus *Orat. I. contra Iulian*. Martyres commendans haec scribit (1): *A quibus Daemones eiiciuntur, et morbi sanantur; quorum sunt praesentia auxilia, quorum praedictiones, quorum ipsa corpora solum eadem possunt, atque animae, seu tangantur, seu honorentur*. Tum *Orat. 2. adversus eundem Iul.* prodigia enumerat, quae Iudaeos a Templi Hierosolymitani aedificatione deterruere, Crucem videlicet in Coelo apparentem, ignem e terra erumpentem, adstantesque incendentem,

C 2 cru-

(1) Παρ' ὧν δαιμονες ἐλαυνονται, και νοσοι θεραπευονται· ὧν αἱ ἐπιφανειαι, ὧν αἱ προῤῥησεις, ὧν και τα σωματα μονον ισα δυνανται ταις ἁγιαις ψυχαις ἢ ἐπαφωμενα, ἢ τιμωμενα.

crucesque in vestibus impressas : ob quae addit plures ad Christum conversos esse . Verum de hoc celebri facto , quod tamquam Christianae Religionis perillustre tropaeum duci merito debet ; opportunius et fusius per nos infra agetur . Alter item Gregorius *Orat. de S. Theodoro*, cum ante dixisset hunc Martyrem igne consumtum ad Deum evolasse, subiecit locum, in quo iacebant eius cineres , factum esse (1) *Officinam medicinae variorum morborum* . Idem praeterea Nyssenus Episcopus *Orat. in suam Ordinat.* quaerens , quid caussae sit, cur olim per Apostolorum conciones plurima hominum multitudo ad Christum fuerit adiuncta , sua vero aetate longae et ornatae Virorum doctorum Orationes sine ullo fructu audiantur ; suis etiam temporibus miraculorum donum vigere observat , quo tantopere Apostoli in Evangelii promulgatione adiuti fuerint (2): *Nunc autem*, inquit , *quid de his , quae fiunt* , *est arbitrandum*? *nonne vides similia fidei prodigia* ? *propria enim exi-*

(1) Ιατρειον νοσων ποικιλων.

(2) Νυνι δε τι χρη τα γενομενα ἡγεισθαι; και ουχ ὁρᾳς τα ὁμοια της πιστεως θαυματα; οικειουμαι γαρ των ὁμοδουλων ἡμων τα κατορθωματα; τῳ αυτῳ πνευματι στοιχούντων εν τῃ δυναμει των ιασεων . . . Δια τι ουν ου πειθομεν, ει πλεοναζει των ιαματων ἡ χαρις;

existimo conservorum nostrorum praeclara opera, qui eodem spiritu ambulant in sanationum virtute . . . Cur ergo non persuademus, si abundat sanationum donum?

Non est autem hoc loco praetermittendus Chrysostomus, qui eloquentia, et dicendi copia cunctis Ecclesiae Patribus uno ore ab Eruditis antefertur. Vir enim disertissimus Deum numquam miracula facere intermittere, nec suo aevo illa desiisse, aperte ostendit *Exposit. in Psalm.* 110. *n.* 4. ubi sic loquitur (1) : *Multa videri possunt privata, et domestica prodigia; sed publica, et omnibus manifesta, et nota, quae singulis aeta-*

(1) Πολλα δε αν τις και ιδικα ιδοι, και εν οικια, γενομενα θαυματα, και εν πολεσιν· αλλα τεως τα καθολικα, και άπασι δηλα, και γνωριμα, ά καθ' έκαστην γινεται γενεαν, ιδωμεν. Ποσα επι Ιουλιανου του παντας ασεβεια νικησαντος γεγονε, της εκκλησιας πολεμουμενης; ποσα επι Μαξιμινου; ποσα προ των εκεινων βασιλεων; Ει δε βουλεσθε, και επι της γενεας συμβαντα της ήμετερας, όιον όι σταυροι όι κατα των ιματιων χαραγεντες αθροον, του Απολλωνος το ίερον το σκηπτῳ κατενεχθεν, του άγιου Βαβυλα του εν Δαφνῃ ή μεταθεσις, και ή φανερα νικη ή κατα του δαιμονος...:. Και εν Παλαιστινῃ τα τοτε συμβαντα εγνωτε· και γαρ, ήνικα τον ναον εκεινον τον εν τῃ ψηφῳ του Θεου καθαιρεθεντα ανοικοδομειν εβουλοντο Ιουδαιοι, πυρ εκ των θεμελιων εκπηδησαν άπαντας ελασε· και μαρτυρει το εργον ατελεστον μειναν.

aetatibus fiunt, videamus . Quam multa evenerunt sub Iuliano , qui omnes impietate superavit , dum Ecclesia bello peteretur ? quam multa sub Maximino ? quam multa ante hos Principes ? Si vero vultis , quae nostra aetate contigerunt , consideremus , ut sunt cruces in vestibus impressae , Apollinis templum fulmine deiectum , Sancti Martyris Babylae, qui erat in Daphne , translatio , et aperta de Daemone victoria . . . . Et quae tunc in Palaestina facta sunt , novistis : etenim cum templum illud divina sententia eversum iterum excitare volebant Iudaei , ignis e fundamentis erumpens , omnes arcuit , ut ostendit opus , quod imperfectum mansit . Et *Orat. de S. Babyla adver. Iulian.* n. 12. idem Chrysostomus Sanctorum ossa Deum apud nos reliquisse , ut ad virtutem , eorum imitatione incitaremur, ex illorum probavit miraculis (1): *Atque haec*, ait , *me non iactitantem exponere, sed ad utilitatem nostram istud factum esse, ad persuadendum sufficiunt prodigia singulis diebus a Martyribus patrata*. Chrysostomo adiungere libet Epiphanium Salaminis in Cypro Episcopum , qui ob quinque linguarum peritiam πεντάγλωττος nun-

(1) Και ὅτι ουχ ἁπλως κομπαζων ταυτα λεγω νυν, αλλα προς ωφελειαν την ἡμετεραν τουτο γεγενηται, ἱκανα μεν τον λογον πιστωσασθαι και καθ' ἑκαστην ἡμεραν ὑπο των μαρτυρων γινομενα θαυματα.

nuncupatus fuit. Ab eo profecto discimus, quod miraculum Christus in nuptiis Cana, aquam in vinum convertendo, ediderat, idem pluribus locis ipsius aetate factum esse; sic enim *lib. 2. adversus haer. haer. 31. seu 51.* ait (1) *num.* 30: *Quare et multis locis ad hanc usque diem id fit tunc editum Divinum prodigium, tamquam non credentibus testimonium, ut testantur pluribus locis fontes, et fluenta in vinum mutata*. Dein facta mentione cuiusdam fontis Cibyrae Cariae oppidi, et alterius in Gerasa Arabiae Urbe, qui ambo in vinum mirandum in modum abibant, addit: *Bibimus nos ex fonte Cibyrae, nostri vero fratres ex altero Geraseno*. Tum *haer.* 10. seu 30. *a cap.* 4. *ad* 12. refert idem Auctor, Iudaeum Iosephum Comitem, gentis suae principem, post plura insignia miracula, ad Christi fidem tandem perductum fuisse sub Constantini imperio; atque isthaec ab ipso Iosepho se accepisse dicit. Vixit eodem ferme tempore Asterius Amasenus in Ponto Episcopus qui *Orat. in S. Phocam*,

(1) Διο και εν πολλοις τοποις αχρι της δευρο τουτε γινεται τοτε το γενομενον θεοσημειον, ὡς μαρτυριον τοις απιστουσι, ὡς μαρτυρουσι εν πολλοις τοποις πηγαι τε, και ποταμοι εις τον μεταβεβλημενοι . . . . Πεπωκαμεν απο της Κιβυρης, ἡμετεροι δε αδελφοι απο της εν Γερασῃ πηγης.

cam, illustria patrari miracula in illius Martyris templo apud Sinopen Ponti Urbem his declarat verbis (1) : *Est quidem magnificum illud Templum, cui sacrum Martyris corpus habere sorte datum est, afflictorum relaxatio, male affectorum officina medica*. Additque ibidem eadem fieri prodigia variis in locis, ubi illius Martyris reliquiae colebantur; Romae praesertim, quo ipsius caput magno studio translatum fuerat.

Hactenus quidem Graecos bene multos Scriptores, qui quarto saeculo claruere, in medium attulimus; age nunc Latinos eiusdem aetatis Auctores audiamus. Inter hos eminent Hilarius Pictaviensis, et Ambrosius Mediolanensis Episcopus doctrina, eloquentia, et invicta pastoralis officii constantia. Hilarius igitur *lib. advers. Constantium Imperatorem n.* 8. de prodigiis ad Martyrum sepulcra fieri solitis haec scribit: *Veneranda ossa quotidie testimonio sunt, dum in his Daemones mugiunt, dum aegritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur*. Porro Ambrosius *epist.* 22. *edit. Bened.* narrat a se divino admonitu SS. Mart. Gervasii, et Protasi ossa inventa esse, atque, praeter alia mira ope-

---

(1) Εστι μενουν ὁ μεγαλοπρεπης εκεινος ναος, ὅς ἱερον εχειν τ.υ Μαρτυρος εκληρωθη σωμα, θλιβομενων ανεσις, κακουμενων ιατρειον.

opera per illa effecta, caecum hominem repente sanatum esse: *Invenimus*, inquit, *mirae magnitudinis viros duos, ut prisca aetas ferebat: ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum . . . Transtulimus ea in Basilicam, quam appellant Ambrosianam; caecus sanatus est*. Nec non *Serm.* 14. *de SS. Nazario*, *et Celso* idem Ambrosius de miraculis verba facit, quae ad illorum Martyrum cineres peragi solebant. Post Ambrosium dignus est, qui in rem nostram citetur, etiam Damasus Pontifex; namque hic miraculorum, quae ad sepulcrum S. Felicis Nolani quotidie edebantur, testis est in *epigrammate Eucharistico*, quo illius praesidio se servatum a morte praedicat, sic canens:

„ Qui ad te sollicite venientibus omnia praestas,
„ Nec quemquam pateris tristem repedare viantem,
„ Te duce, servatus mortis quod vincula rupi,
„ Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

Prudentius quoque non semel in suis carminibus Martyrum prodigia laudat; sed praecipue in *hymno I. de SS. Hemiterio*, *et Chelidonio Calaguritanis* ita beneficia per illos in homines collata commemorat:

„ Hoc

„ Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, praestitit,
„ Martyrum cum membra nostro consecravit oppido,
„ Sospitant quae nunc colonos, quos Iberus alluit.

Eodem prope, quo Prudentius, tempore vixit Rufinus Aquileiensis; qui magno solitudinis, et recessus amore captus per Aegypti, et Palaestinae deserta loca peregrinatus fuit. Scriptor is *lib.* 2. *Histor. Eccles. c.* 4. de miraculis, et actibus Aegyptiorum Monachorum mentionem faciens, ita ait: *Quae praesens vidi, loquor, et eorum gesta refero, quoniam in passionibus socius esse promerui.* Deinde *cap.* 8. *eiusdem libri* haec tradit: *Florebat Aegyptus ea tempestate* (sub Valente) . . . *his, qui per vastam eremum commanentes signa, et prodigia Apostolica simplicitate vitae, et cordis sinceritate faciebant. Ex quibus, quos ipsi vidimus . . . . . hi sunt, Macarius de superiori eremo, alius Macarius de inferiori, Isidorus in Sceti etc.*

Reliquum est tandem ut quintum saeculum percurramus; unde plurima quidem, eaque fide digna Ecclesiasticorum Auctorum nobis suppetent testimonia. Quorum primus in medium prodeat Hieronymus, quem multiplici eruditione, sacrarumque literarum scientia cunctis Latinis Patribus praestitisse non ambigimus. Is lib. *advers. Vigilantium*, impium istum haereticum,

cum , qui ossa Martyrum *vilissimam pulverem* appellabat, sic argumento a prodigiis sumto urget: *Responde , quomodo in vilissimo pulvere , et favilla nesciò quae tanta sit signorum, virtutumqne praestantia* . Memorat praeterea in *vita Hilarionis* miracula ab eo patrata , atque inter alia agricolas a serpentium morsibus oleo curatos , ducentosque aegrotos sanitati restitutos . Addit quoque ibidem Hilarionem Gazae in Palaestina coram omni populo quoddam dissoluisse maleficium , ideoque tamquam magum a Gazensibus ad necem esse quaesitum . Hieronymo adiiciendum arbitramur clarissimum Ecclesiae ornamentum Augustinum ; qui plane ingenii acumine , iudiciique gravitate cum paucis est comparandus . Et sane Hipponensis Antistes *lib.* 22. *de Civit. Dei c.* 8. obiicientibus Paganis non amplius fieri suis temporibus , quae in Evangelio leguntur miracula , sic respondet : *Etiam nunc fiunt miracula in nomine eius* (Christi) *sive per Sacramenta eius , sive per orationes , et memorias Sanctorum eius ; sed non eadem claritate illustrantur , ut tanta , quanta illa , gloria diffamentur . Canon quippe Sacrarum literarum , quem definitum esse oportebat , illa facit ubique recitari , et memoria cunctorum teneri populorum : haec vero , ubicumque fiunt , ibi sciuntur , vix in tota ipsa civitate* etc. Mox post allata verba narrat vulgatissimum miraculum , quod Mediolani contigit , ubi tunc ipse erat , cum caecus (de quo Ambrosius lo-

loco ante per nos citato) ad corpora SS. Gervasii, et Protasii visum recepit : *Quod*, ait, *ad multorum notitiam potuit pervenire, quia et grandis est civitas, et ibi tunc Imperator, et immenso populo teste res gesta est . . . . . ubi caecus ille, depulsis veteribus tenebris, vidit*. Postea eodem capite, multo de prodigiis sermone habito, quae Carthagine, et alibi acciderant, ad illa devenit, quae Hippone, et aliis Africae locis per S. Stephani reliquias fuerant impetrata, dicens: *Quid faciam? urget huius operis implendi promissio, ut non sic possim omnia commemorare, quae scio: et procul dubio plerique nostrorum, cum haec legent, dolebunt mecum multa praetermisisse, quae utique mecum sciunt. Quos iam nunc, ut ignoscant, rogo, et cogitent, quam prolixi laboris sit hoc facere, quod me hic non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quae per hunc martyrem, idest gloriosissimum Stephanum, sunt facta in colonia Calamensi, et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri*. . Huc usque Augustinus.

Interim fac obiter heic advertas, quam sollemnia erraverit impius *Dictionarii Philosophici* Auctor, dum, ut miracula nulla prorsus Augustini aetate fieri probaret, illius Doctoris auctoritate usus est; imo, quod magis mirere, hoc ipsum pro se citavit modo laudatum caput 8. *libri* 22. *de Civit. Dei* : in quo apertissi-

si-

sime ei Augustinus adversatur. Sed et Chrysostomum quoque in suae caussae patrocinium idem advocavit: quam vero perperam, et falso, ex Chrysostomi adductis antea testimoniis abunde liquet. Fatendum est tamen Chrysostomum, et Augustinum quibusdam locis ita locutos fuisse, quasi nulla exstare suo aevo miracula significare vellent. At, ne turpiter secum ipsi Sapientissimi illi Viri pugnare videantur, eorum verba hoc prorsus pacto accipienda esse iudicamus, ut id tantum dicant, haud esse sic familiaria, et crebra suis temporibus miracula, ut per priores Ecclesiae aetates fuerunt. Tametsi quod ad Augustinum attinet, coniecturis non egemus: is enim *lib.* 1. *Retract.* quid de hac re senserit, aperte indicat. Nam cum *lib. de vera Relig. c.* 25. priorum temporum miracula sua tempestate defecisse scripsisset; libro citato *Retract. c.* 13. sua dicta ita interpretatur: *Sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur: nam ego ipse, quando istum librum scribebam, ad Mediolanensium corpora martyrum in eadem civitate caecum illuminatum iam noveram, et alia nonnulla, qualia tam multa istis etiam temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quae cognoscimus, numerare possimus*. Quae quidem verba nimis clare, et manifeste nobis Augustini sententiam aperiunt. Nec vero aliter de Chrysostomi mente iudicium facere licet, si ad tot prodigia, quae

quae ipsius memoria evenisse non uno in loco enarrat, animum referamus.

Augustino prope aequalis fuit Cyrillus Episcopus Alexandrinus, Vir sat acutus, et exercitatus in disputando, nec non literarum sacrarum scientia probe instructus: qui *lib. 6. adversus Iulianum* de suae aetatis prodigiis his nos edocet verbis (1): *Licet vero et ad hanc usque diem volentibus videre, homines venerandos, et sanctos in virtute Christi per Sanctum Spiritum malos increpantes Daemones, et quos Deos, et Servatores esse credunt illi, orationis vi conterentes, et manus tactu cruciantes; quin etiam liberare valentes variis morbis oppressos.*

Sed et innumera insuper mira omnis generis opera a Monachis, et Ascetis perpetrata fuisse, ex compluribus huius quintae aetatis monumentis discimus. Huiusmodi profecto est, quod Historia complectitur Lausiaca, a Palladio Chrysostomi discipulo confecta; res enim gestas, et miracula Monachorum maxime in desertis Aegy-

---

(1) Ἐξεστι δε και εις δευρο τοις βουλομένοις ὁραν ανδρας σεπτους, και ἁγιους εν δυναμει Χριστου δια του ἁγιου Πνευματος πονηροις επιτιμωντας δαιμοσιν, και ὁυς εκεινοι θεους, και σωτηρας ειναι πιστευουσι τη της προσευχης δυναμει συντριβοντας, και τη της χειρος αφη καταικιζοντας· και μην και ποικιλων αρρώστηματων ελευθερουν ισχυοντας τους ενεσχημενους.

Aegypti degentium ille breviter describit in hoc opere ; utque rebus narratis fidem faciat , se eas aut vidisse , aut ab ipsis qui viderant accepisse sic in *praefatione ad Lausum* affirmat (1) : *Quae quidem ipse videns scripseram , quaeque a Sanctis Patribus audieram . . . . cum huic libro mandassem , misi ad divinorum eloquiorum amantes aures tuas* . Alter quoque Chrysostomi discipulus Cassianus, qui multos in Aegypti , ac Palaestinae Monasteriis annos transegerat , *Collatione 7 c. 26.* se novisse Aegyptium quemdam Abbatem dicit , Paullum nomine , tanta curationum virtute donatum , *ut cum de oleo, quod corpore suo tetigerat, ungerentur infirmi, statim a cunctis valetudinibus curarentur*. Insignia autem sunt , quae de S. Martini Turonensis Episcopi miraculis praedicat Severus Sulpitius tum in *vita S. Martini*, cuius discipulus fuerat, tum *duobus Dialogis* de eodem argumento conscriptis : ubi praeter alia non unius mortui in vitam restitutio memoratur . Alium pariter Dialogum reliquit Sulpitius de *Monachorum Orientalium virtutibus*; cuius capp. 5. 12. *et* 13. de Patrum

---

(1) Α' μεν αυτος ἱστορησας ανεγραψαμην , ἁ δε παρα των ἁγιων πατερων ακηκοα . . . ενσημηνας εν τῳ βιβλιῳ τουτῳ απεσταλκα τῃ των θειων λογιων φιληκοῳ σου.

trum Aegyptiorum prodigiis meminit. De Monachis praeterea Aegyptiis varie ob Catholicam fidem a Valente Imperatore exagitatis, agens Socrates *lib.* 3. *Hist. Eccl cap.* 23. sibi a proposito digredi necesse esse ait; si omnia persequi velit, *quaecumque effecerunt miranda ob sanctitatem, qua praediti erant* (1). Nec miracula eorumdem temporum silentio praeterit Sozomenus Socrati aequalis. Namque is *libro* 3. *c.* 14. primum duos nominat Macarios, eosque vocat *multarum, et mirandarum rerum, et curationum effectores* (2); mox de Pachomio Tabennensi loquitur, qui fuit *Deo adeo carus, ut futura praenosceret, et cum Angelis saepe colloqueretur* (3); tum ad Hilarionem veniens Palaestinum, de eo inquit: *Usque adeo Deo dilectus erat, ut adhuc nostra aetate apud eius sepulcrum multi sanentur, et aegroti, et a Daemone correpti* (4); deinde ait Deum illustrem reddidisse Iulianum Edessenum, eique

(1) Ὅσα ἐποίησαν θαυματα δια την προσουσαν αυτοις ἁγιοτητα.

(2) Πολλων, και παραδοξων πραγματων, και ιαματων δημιουργω.

(3) Θεοφιλης εις αγαν, ὥς προειδεναι τα εσομενα, καὶ τοις Αγγελοις ὁμιλειν πολλακις.

(4) Επι τοσουτον θεοφιλης εγενετο, ὡς ετι και νυν επι τῳ αυτου ταφῳ πολλους ιασθαι και καμνοντας, και δαιμονωντας.

eique dedisse *Daemones expellere, et omnes sanare morbos* (1); demum asserit Martinum Turonensem ita miraculorum virtute emicuisse, *ut mortuum suscitasse, aliaque signa fecisse Apostolis non inferiora credatur* (2). His similia apud Theodoretum in *Hist. Religiosa*, reperies: in qua omnigena miracula, etiam mortuorum reviviscentium, a Patribus in Syriae desertis commorantibus patrata describuntur. Atque ut omnis de iis dubitandi ansa penitus tollatur, ipse Auctor *in Praefatione* ea quae narrat, partim a se conspecta fuisse, partim ab illis, qui conspexerant, relata, hoc pacto monet lectorem (3): *Nos quaedam dicemus, quae nos ipsi vidimus, quaedam alia, de quibus iis, qui viderunt, fidem habemus*. Ab eodem porro Theodoreto *Orat.* 8. *contra Gent.* cognoscimus, plurima facta esse miracula ad Martyrum monumenta; cuius rei indicio esse dicit dona a Fidelibus ad sanitatis

---

(1) Δαιμονας απελαυνειν, και παντοδαπων νοσων ιασεις.

(2) Ω᾽ς νεκρον εγειραι πιστευεσθαι, αλλα τε σημεια επιτελεσαι Αποστολικων ου λειπομενα.

(3) Η᾽μεις τα μεν ερουμεν ὡς αυτοπται, τα δε τοις αυτοπταις διηγησαμενοις πεπιστευκοτες.

receptae memoriam oblata (1) : *Alii quidem*, ait , *oculorum* , *alii pedum*, *alii manuum offerunt effigies*: *ostendunt autem istae propositae morborum depulsionem*.

Verum , praeter Theodoretum modo allatum , plura alia testimonia de miris operibus ad Martyrum ossa peractis quinti Saeculi Scriptores exhibent . Certe quidem Maximus Taurinensis Episcopus *in Homil.* de *Tauricorum Martyrum Natali* haec de illis scribit : *Cernimus ab iis frequenter obsessos immundissimis Daemonibus homines liberari* , . . . *Haec et alia potiora miracula per Sanctos fieri omnibus notum est* . Ad haec Paullinus Nolanus Episcopus, Vir magnus, et magnorum Virorum laudibus celebratus, *Natali 6. S. Felicis* vim prodigiorum praesentissimam Martyris ossibus inesse diserte exprimit , cum canit :

„ Ossaque Sancti
„ Corporis in tumulo non obsita pulvere mortis ,
„ Arcano aeternae sed praedita semine vitae,
„ Vi-

---

(1) Οἱ μεν γαρ οφθαλμων , ὁι δε ποδων, αλλοι δε χειρων προσφερουσι εκτυπωματα· δηλοι δε ταυτα προκειμενα των παθηματων την λυσιν.

„ Vivificum spirant animae victricis odorem,
„ Quo medicina potens datur exorantibus aegris.

Et Nat. 11 *eiusdem S. Felicis*, postquam Sanctorum complures enumerasset, et qui quibus provinciis divinitus patroni attributi essent, retulisset, hos subiunxit versus:

„ Hos igitur nobis, cupiens avertere morbos
„ Omnipotens Dominus, Sanctos mortalibus aegris
„ Per varias gentes Medicos pietate salubri
„ Edidit etc.

Eadem fere de portentifica virtute Martyrum memoriae prodiderunt Isidorus Pelusiota, et Aeneas Gazensis Philosophus. Quorum ille *epist.* 56. *lib.* 1. *ad Hieracem Gentilem*, ita eum alloquitur (1): *Si te offendit, quod Martyrum cineres a nobis honorantur, propter eorum erga Deum caritatem, et constantiam, illos interroga, qui ab iis sanitatem obtinuerunt, et quot morbis remedia afferant, disce*. Alter vero, ni-

(1) Ει σκανδαλιζῃ επι τῃ κονει των μαρτυρικων σωματων παρ' ἡμων τιμωμενῃ, δια την περι τον Θεον αυτων αγαπην, και ενστασιν, ερωτησον τους εξ αυτων τας ιασεις λαμβανοντας, και μαθε, ποσοις παθεσι θεραπειας χαριζονται.

mirum Aeneas Gazaeus , sexcentas morborum admirandas sanationes Sanctorum corporum ope impetratas se novisse in *Theophrasto* testatur (1): *Vidi ego* , inquit , *sanctorum Virorum plura corpora tantum Daemonum phalanges exagitantia* , *quantum ii obsessum hominem cruciant* ; *et sexcentas aegritudines* , *quibus impar fuerat Medicorum ars* , *facile sanantia* , *et depellentia* , *et omnino tollentia*. Neque heic omittendus videtur Basilius Seleuciensis: qui sub finem *lib.* 1. *de S. Thecla* ingentia commemorans portenta, quae ad illius sepulcrum fiebant , eum locum *publicam medicinae officinam evasisse* asserit (2).

Tandem veterum Ecclesiasticorum Auctorum , miracula suorum temporum testificantium, agmen claudat Victor Vitensis in Africa Episcopus . Qui quidem in *Histor. Persecutionis Vandalicae* insigne illud tradit prodigium , quod seculo quinto exeunte in Africa contigit ; plures scilicet Catholicos , quorum linguas Hunericus Van-

---

(1) Εγω κατανενοηκα ανδρων αγαθων συχνα σωματα τοσουτον εκδειματουντα των δαιμονων τας φαλαγγας , όσον εκεινοι τον τεθηραμενον ανθρωπον, και τα μυρια νοσηματα , εν όις των ιατρων ησθενησε ή τεχνη , ῥαδιως χαλωντα, και εκκαθαιροντα , και όλως εκκοπτοντα.

(2) Πανδημον ιατρειον.

Vandalorum Rex recidi iusserat , aeque expedite post id immane supplicium locutos fuisse , atque antea loqui consueverant . Victoris verba haec sunt *lib.* 5. *num.* 6. *edit. Ruinart* : *Praecepit* (Praefecto Rex) , *ut in medio foro , congregata illuc omni provincia , linguas eis , et manus dexteras radicitus abscinderet . Quod cum factum fuisset , Spiritu Sancto praestante , ita locuti sunt , et loquuntur , quomodo antea loquebantur . Sed si quis incredulus esse voluerit , pergat nunc Constantinopolim , et ibi reperiet unum de illis , Subdiaconum Reparatum , sermones solitos sine ulla offensione loquentem : ob quam caussam venerabilis nimium in palatio Zenonis Imperatoris habetur* . Huius autem admirandi facti totus fere Romanus Orbis testis fuisse dici potest : etenim qui tali poena sunt affecti , in varias deinde regiones , praecipue Constantinopolim demigrarunt . Sed de eodem mox plura adiicientur . Plura alia ex Antiquorum scriptis coacervari possent ; praecipue vero ex *Actis Mart. sinceris* Ruinartii , itemque ex *Actis Mart. Orientis* Syriace , et Latine a Stephano Evodio Assemano editis : sed , ne longior sim , sciens parco .

Quae huc usque per nos allata sunt Auctorum priscorum testimonia , eiusmodi plane sunt , ut cuivis vel obstinatissimo convincendo satis esse arbitremur . Nam vero simile nullo pacto videri debet , tam multos tot saeculorum ;

totque gentium Scriptores, qui cuncti eximia doctrinae, et ingenii laude excelluerunt, vanis rumoribus, aut callidis hominum commentis fidem parum prudenter adiunxisse; neminemque unquam ex tanto numero fraudem, et deceptionem perspexisse. Rursus vero quis credat, tot graves Viros, magnis locorum, et temporum intervallis a se seiunctos, posteris imponere data opera omnes voluisse; praesertim cum maior eorum pars vel martyrii corona, vel certe sanctitatis gloria fuerit nobilitata? Utique non diffitemur, aliquos ex iis quibusdam in rebus falli potuisse; verum omnes in errorem actos esse, atque omnia prorsus, quae referunt prodigia, falsa esse, et commentitia, id quidem probari nullo modo potest. Etenim plurima in priscis Ecclesiae Annalibus occurrunt facta, adeo certis innixa testimoniis, adeo gravium Virorum auctoritate firmata, ut qui ea repudiare velit, nae is toti antiquae Historiae vale dicat, necesse sit. Huius generis censenda sunt non pauca portenta, quae apud vetustos Ecclesiae leguntur Scriptores, nosque supra exposuimus. Ex iis profecto unum, aut alterum retractare placet, atque accuratius, et fusius ad severissimas Critices regulas expendere, quo morosis adversariis cumulatissime fiat satis. Ac primum sane illud afferendum videtur prodigium, quod Hierosolymis sub Iuliano Principe contigit, cum Iu-

daei

daei Templum exstruere parantes, flammis plus vice simplici e fundamentis exsilientibus, operasque absumentibus, ab incepto tandem desistere sunt coacti. Hoc mirabili facto, quo Christianam Fidem egregie approbatam voluit Deus, vix ullum aliud magis compertum, magisque testatum in universa rerum humanarum historia invenies. Nam primo diserte memoratur, ut supra vidimus, a Nazianzeno, et Chrysostomo, summa auctoritate Viris, qui ad eadem tempora pertinent. Quin et Chrysostomus saepius in suis scriptis, dum se dat occasio, potissimum vero *Homil.* 5. *adversus Iudaeos Edit. Maur.* insigne id eventum totis eloquentiae viribus, qua inprimis excellit, extollere haud praetermittit. Deinde Ambrosius, eiusdem aetatis Scriptor, *epist.* 40. *edit. Bened. ad Theodosium Imperat.* ut eum ab aedificanda Iudaeorum Synagoga deterreret, ex tam pervulgato prodigio argumentum desumsit firmissimum, sic ipsum alloquens: *Non audisti, Imperator, quia, cum iussisset Iulianus reparari Templum Hierosolymis, divino, qui faciebant repurgium, igne flagraverint? Non caves, ne etiam nunc fiat?* Ad haec Rufinus, qui laudatis Patribus aequalis fuit, *lib.* 1. *Histor. Ecclesiast. capp.* 38. *et* 39. idipsum literis mandavit; nec non omnia facti adiuncta accuratissime persecutus est. Praetereo heic Socratem, Sozomenum, Theodoretum, et Orosium, qui vixerunt postea, deque eodem mira-

raculo meminerunt. Sed maximum omnium ad persuadendum pondus sine dubio habere debet Ammiani, Gentilis hominis, testimonium: qui sane eo tempore, quo isthaec Hierosolymis fiebant, in castris Iuliani haud procul a Iudaea versabatur. Enimvero hic Historicus, Christianis licet infensus, et Iuliani Principis studiosus, veritatis tamen vi adactus facere non potuit, quin rem omnium ore celebratissimam memoriae commendaret posteritatis, ac simul palam faceret, quam turpiter Iulianus, et Iudaei sua spe plane fuerint frustrati. Marcellini locus *lib.* 23. *cap.* 1. sic se habet: *Ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa, et internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, aegre est expugnatum, instaurare sumtibus* (Iulianus) *cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi . . . . . Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, iuvaretque Provinciae Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum: hocque modo, elemento obstinatius repellente, cessavit inceptum*. Ubi vides aperte ex Ammiano, non quidem semel e fundamentis ignem erupisse (quod fortasse casu factum quis autumaret), at quoties opus aggredi Iudaei conati sunt, toties horrendis flammarum globis fuisse repulsos. Verum, quod magis est mirandum, praeter Ammianum Mar-

cel-

cellinum Ethnicum Scriptorem, e Iudaeis quoque testem damus huius rei locupletem Rabbinum Gedaliam, qui quinto Ecclesiae saeculo vixit, cuiusque scriptum extat apud Wagenseilium in *Telis igneis Satanae*. Nempe is fateri minime veretur, suos populares Templum reparandum suscepisse, eique consilio elementa vehementer obstitisse; additque, quod maximum est, id ex suae gentis Annalibus constare. Quae cum ita sint, cumque tam nobile prodigium non Christianorum modo, sed Ethnicorum quoque, atque Hebraeorum auctoritate fulciatur, ecquis illud vel prorsus inficiari, vel certe in dubium revocare ausit?

Sed huic miraculo, quod modo excussimus, alterum subnectere volupe est, aeque indubium, atque exploratum, quod supra ex Victore Vitensi retulimus, de iis scilicet Fidelibus, qui praecisis linguis expedite loquebantur. Id procul dubio non solum ex citato Victore apparet, qui rem sua aetate vulgatissimam prodidit; sed aliorum etiam Scriptorum, qui huiusmodi prodigium se suismet oculis conspexisse asseverant, gravissimis testimoniis comprobatur. Quorum primus producendus est Iustinianus Imperator; qui in *Constit.* a se edita *de Offic. Praef. Praet. Africae lib.* I. *Cod.* ita scribit: *Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis, poenas suas miserabiliter loquebantur*. Iustiniano addimus Marcellinum Comitem, qui sub

eo-

eodem Augusto floruit ; quique *in suo Chronico ad ann.* 484. ita loquitur : *Ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos praecisis linguis , manibusque truncatis , apud Byzantium integra voce conspexi loquentes* . His similia narrat Procopius *libro* 1. *de Bello Vandal. cap.* 8. ubi de Hunerico Rege sic verba facit (1) : *Multorum et linguas recidit ab ipsis faucibus , qui adhuc mea aetate superstites Byzantii voce expedita utebantur , nullum illius poenae sensum capientes* . Denique Aeneas Gazaeus Philosophus in *Dialogo de animae immortal.* , sive in *Theophrasto* , sic sub Axithei persona idem exponit prodigium (2): *Vidi egomet homines , et loquentes audivi , et vocem articulate distinctam admirans , vocis organum quaesivi : et auribus non credens , oculis commisi iudicium , atque os aperiens , linguam vidi radicitus avulsam* . Missa vero facimus loca Evagrii , Gregorii Magni , et aliorum , qui post re-

---

(1) Πολλων δε και τας γλωσσας απετεμεν απ' αυτης φαρυγγος, οἱ ετι και ες εμε περιοντες εν Βυζαντιῳ εχρωντο ακραιφνει τη φωνῃ , ουδ' ὡπωστιουν ταυτης δη της τιμωριας επαισθανομενοι.

(2) Ειδον εγωγε τους ανδρας , και λαλουντων ηκουσα , και της φωνης το εναρθρον θαυμαζων , το της φωνης οργανον εζητουν · και τοις ωσιν απιστων , τοις οφθαλμοις επετρεπον την κρισιν · και το στομα διανοιγων , ὁλην εκ ῥιζων ανασπασθεισαν εθεωρουν την γλωτταν.

relatos Auctores scripserunt. Quid nunc ad haec respondent Adversarii? Num dicent omnes, quos citavimus, Scriptores falso rumore deceptos fuisse, aut sensibus illusos? At ex eorum verbis plane eruitur, ipsos nec vulgi rumoribus, nec suis auribus fidem tribuentes, rem totam, ne fallerentur, oculorum iudicio commisisse. Deinde id, quo de agimus, prodigium non statim finem habuit, sed per plurimos perennavit annos, quamdiu scilicet ii vixerunt, qui atrocissimum illud pertulerunt supplicium; ut propterea, si quis errori fuisset locus, facile tot annorum intervallo corrigi potuisset. An laudatos testes falsi omnes insimulabunt? Verum qui suspicari licet, Iustinianum Augustum, Marcellinum Comitem, Procopium Historicum, ceterosque fabellam evulgare voluisse, cuius falsitas statim cuique pateret? aut quaenam ratio Viros adeo graves ad tantum facinus audendum impellere valuit? Sed iam finis huius capitis sit; nimis enim longus, et prolixus evasit sermo noster. Quare ad alterum transeuntes, quid de recensitis miraculis Christianae Fidei hostes senserint, videamus.

CA-

CAPUT II.

Miracula Christianae Religionis veterum Hebraeorum, ac Gentilium testimoniis confirmantur. Ea quidem Magicae arti falso tribuuntur: at haec calumnia magis magisque illorum veritatem illustrat.

Postquam ad argumentum, quod pertractamus, demonstrandum, Christianorum Scriptorum permulta loca superiori capite protulimus; rei ratio postulat, ut nunc Iudaeos, atque Ethnicos in eandem rem citemus testes, qui profecto, quo magis a Christianismo sunt alieni, eo minus suspecti haberi debent. Ex eorum numero omnium primum se offert Flavius Iosephus Historicus, qui Hebraeus licet genere, Pharisaeorumque addictus sectae, de Christi tamen doctrina, et prodigiis magnifice in *Antiquit. Iudaicis* disserit. Ita enim *lib.* 18. *cap.* 3. *edit. Haver.* loquitur (1). *Fuit autem hoc tem-*

---

(1) Γινεται δε κατα τουτον τον χρονον Ιησους, σοφος ανηρ, ειγε ανδρα αυτον λεγειν χρη· ην γαρ παραδοξων εργων ποιητης, διδασκαλος ανθρωπων των ἡδονη ταληθη δεχομενων, και πολλους μεν Ιουδαιους, πολλους δε και του Ἑλληνικου επηγαγετο. Ὁ Χριστος ὁυτος ην. και αυτον

tempore Iesus Vir Sapiens , si Virum illum oportet dicere : erat enim mirabilium operum effector, Magister eorum , qui vera libenter amplectuntur , et multos quidem Iudaeos , plures autem Gentiles sibi adiunxit . Hic erat Christus : quem cum a primoribus gentis nostrae accusatum Pilatus cruce damnavisset , ab eo diligendo non abstinuerunt , qui primum coeperunt . Nam post tertiam diem redivivus ipsis apparuit , cum divini vates haec, et alia quamplurima admiranda de eo praedixissent : neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus. Hunc celebrem locum Iosephi non esse , sed ab aliena manu eius textui adiectum, non pauci e recentioribus existimant . Verum alii longe plures numero Eruditi contendunt , testimonium istud et ab Hebraeo Historico esse profectum , et ad veritatem prodigiorum Novi Foederis contra Theistas asserendam quam maximam vim habere. Quae autem proponi solent in utramque partem argumenta , omnia Carolus Daubuzius collegit , peculiari de hac re

sat

αυτον ενδειξει των πρωτων ανδρων παρ' ἡμιν σταυρῳ επιτετιμηκοτος Πιλατου , ουκ επαυσαντο γε πρωτον αυτον αγαπησαντες. Εφανη γαρ αυτοις τριτην εχων ἡμεραν παλιν ζων , των θειων προφητων ταυτα τε , και αλλα μυρια θαυμασια περι αυτου ειρηκοτων · εἰς ετι νυν των χριστιανων απο τουδε ωνομασμενων ουκ επελιπε το φυλον.

sat longa edita tractatione: qui quidem tum de proprio penu plura alia depromsit, ut controversam periocham Flavio vindicaret, tum etiam, quae contra dicuntur, prorsus infirmavit. Nos tamen, ut brevitati consulamus, illud tantum adnotandum putamus, cunctos Manuscriptos Iosephi Codices hunc locum praeseferre: quod genuinum eum esse màxime probat. Nec dicas, ex Eusebii operibus, qui primus Flavianum de Christo testimonium *lib.* 3. *Demostrat. Evang. cap.* 5. *et lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 11. citavit, in universos Iudaei Historici Codices sensim librariorum fraude translatum esse. Nam primum haud rationi consentaneum videtur putare, cunctos librarios in describendis Iosephi operibus id potissimum spectasse, ut Eusebianam laciniam illius textui assuerent. Deinde undenam nobis constare poterit, omnibus cujusvis regionis, atque aetatis librariis istud additamentum fuisse notum? Nisi quis malit credere, sincera Iosephi exemplaria, quae bene multa per totum orbem diffusa in Bibliothecis asservabantur, olim omnia interiisse; unumque depravatum Codicem Eusebianum tantam evasisse ruinam, unde deinceps alii omnes ad nostram usque memoriam sint derivati: quod omnino ineptum est, atque absurdum. Postremo Eusebius *lib.* 2. *c.* 23. *Hist. Eccles.* quemdam Iosephi citat locum, quo significatur, propterea Iudaeis extrema mala, Urbisque Hieroso-

solymitanae excidium obvenisse, quod Iacobum Iesu fratrem, virum iustissimum morte multarint: quem tamen locum, valde Christianae Religioni honorificum, in vulgatis Iosephi exemplaribus minime reperiri satis est compertum. Cur igitur, rogo, si tantopere curae fuit exscriptoribus, ut aiunt adversarii, eiusmodi periocham, utpote Nostrae Fidei dignitati mirifice faventem, Flavii textui inserere; cur, inquam, iidem testimonium de Iacobo ab Eusebio laudatum, quo etiam decori, et dignitati Religionis consulerent, illius Auctoris libris eadem fraude adiicere nequaquam sategerunt? Quae vero nobis ex styli varietate, atque ex Scriptorum Eusebio vetustiorum obiici solent silentio, ea et perexigui sunt momenti, et iamdudum a Viris doctis copiose sunt confutata. Illud tamen gravius videtur, quo nos oppugnant, argumentum, nempe ea heic de Christi doctrina, et vita praedicari, quae a Iosephi opinionibus vel maxime abhorrent. Etenim tum Christus hominum vera sequentium doctor appellatur, tum eius Resurrectio, aliaque admiranda facta a divinis vatibus praenunciata dicuntur: quae omnino ab Historico Christianae doctrinae inimico scribi non poterant. Hanc equidem argumentationem prius quam diluamus, pauca praeponenda censemus. Cum, Servatore nostro in Coelum abeunte, Evangelium per omnes Terrae partes pervagari coeptum est, Hebraeos

braeos maxima ex parte illud respuisse, nemini latet. Sed hi rursus, quod ad hanc rem spectat, ad duo genera referri poterant. Nam plerique inexpiabiles, et implacabiles erant Christianorum inimici; quos ad supplicia, et necem deposcere, aut certe calumniis vexare, conviciisque appetere nunquam cessabant. Alii autem, iique exiguo sane numero, cum illos virtute, vitaeque integritate florere, in primisque prodigiorum fama nobilitari viderent, valde ambigebant, num eorumdem doctrina humanum esset commentum, an ex ipso Deo originem duceret: quare eos non modo non insectabantur, sed laude etiam dignos iudicabant. Ex his postremis procul dubio unus exstitit Gamaliel Pharisaeus, clarissimus Legisperitus; qui in Concilio Iudaeorum aequum se Apostolis praebuit, uti ex *Actor. cap.* 5. edocemur. Exemplo pariter esse queunt Pharisaei illi, quos multo post in alio Sacerdotum consessu congregatos Paulli caussam defendendam suscepisse contra alios Iudaeos, eadem Apostolorum *Acta cap.* 23. testantur. Ubi vero Hierosolymitana Urbs excisa fuit, Templumque exustum, augescente interim in dies magis Fidelium multitudine, atque ita vaticiniorum Christi veritas ex exitu omnino patefacta est; hunc Iudaeorum numerum, de Christiana secta aequius iudicantium, valde auctum esse existimare licet: qui tamen Iesus humilitate, et obscuritate, maximeque infami

fami supplicio offensi , eum Messiam Lege promissum agnoscere minime voluerunt .

Hisce animadversis , nunc ad adversariorum argumentationem redeo . Iosephum idem de Christo sensisse, quod ii , quos modo commemoravi , ex aliis eiusdem Auctoris locis apertissime patet , quae genuina esse nemo unus diffitebitur . *Lib.* enim 18. *Antiquit.* *c.* 5. Ioannem Baptistam collaudans , ait fuisse Virum probum , qui per suum baptismum homines pietatem , ac iustitiam amplecti hortabatur : tum scribit arbitratos esse Hebraeos, Herodem Antipam ; quia eumdem Baptistam interfici iusserat, ideo ab Areta Arabum Rege , Deo sceleris ultore , praelio victum esse. Ex quo perspicimus, non solum vulgo Iudaeos , sed ipsum etiam Iosephum in ea fuisse opinione, ut Ioannem verum Prophetam crederent , cuius caedes Deo vindice punita fuerit . Atqui optime is noverat , Baptistam praeconem , et buccinatorem laudum Iesus fuisse , illumque Dei Filium , et Messiam , sine quo nemo salutem consequi posset , palam omnibus denunciasse : qua sane de caussa vehementer apud Pharisaeos , et Scribas offenderat . Praeterea *lib.* 20. *cap.* 9. postquam Iacobum Episcopum Hierosolymitanum cum aliis quibusdam iussu Anani Pontificis capite damnatum ob Christi Fidem enarravit , id valde displicuisse subdit Viris modestissimis , Legisque Mosaicae studiosissimis : quod certe haudqua-

quam scripsisset, si Christi cultores impios, Deoque invisos habuisset. Sed nil magis nostram confirmat sententiam, quam quod hoc ipso loco de Iacobo adiicitur, eum fuisse *fratrem Iesu, qui Christus dicebatur*: quae quidem verba Iosephi esse inter optimos convenit Criticos. Si enim male is de Servatore Nostro existimaret, ut vulgus Iudaeorum, non ita parce, ac ieiune diceret, illum Christum vocatum esse, sed aliquod contumeliosum verbum omnino adderet: quod eum in aliis fecisse constat, quos exsecrabatur. Nam *lib.* 20. *c.* 5. de Theoda, et *c.* 8. de quodam Aegyptio verba faciens, qui falsis promissis, et mendaciis plures Iudaeos deceptos in deserta loca trans Iordanem diversis temporibus secum duxerant, illos praestigiatores, ac mendaces Vates appellare non dubitavit. Quare plane statuamus oportet, haud infensum Christianis Iosephum fuisse, ac propterea mirum non esse, si Iesum vera docuisse, idest ad virtutis studium homines excitasse, et prodigia effecisse dixerit: eoque magis, quod haec Miraculorum virtus etiam sua aetate in eius discipulis ita emineret, ut taceri non posset. Neque nos moveat, quod subiicit, illius Resurrectionem, et alia miranda a Divinis Prophetis praedicta fuisse. Etenim potuit Iudaeus Historicus ex tot tantisque Miraculis per Iesum editis suspicari, magnum aliquem Prophetam fuisse, in quo plura Sacrorum,

Li-

Librorum praedicta suum exitum sint sortita; quamvis non liquido ei pateret, esse illum Messiam, Deique Filium. Atque ista profecto caussa esse debuit, quamobrem licet tam honorifice de Christo locutus sit, tamen obstinate ac pertinaciter in Iudaismo perseveraverit. Hactenus satis de celebri Iosephi loco. Sed alios quoque veteres Iudaeos, praeter Iosephum, Christi, eiusque discipulorum miracula confessos esse, declarant duo loca Thalmud, et Rabbini cuiusdem opus apud Raimundum Martinum in *Pugione Fidei Par.* 2. *cap.* 8.

Neque vero unos Iudaeos, sed Ethnicos etiam Christianae Fidei prodigia testificatos esse, indubiis apparet monumentis. Nam primo Celsus Epicureus, qui sub Hadriano *librum adversus Christianos* confecit, et *verum sermonem* inscripsit, Christi Miracula inficiari non audet, sed edidisse ea falso criminatur Magicae artis ope, quam in Aegypto didicerat. Certe Origenes, qui Celsi librum refellendum suscepit, id aperte affirmat *lib.* 1. *contra Cels. n. 6.* cum ait (1): *Accusat deinde* (Celsus) *Salvatorem, quod praestigiis valuerit ea, quae admiranda videbantur, effecisse.* Et *n.* 68 1. *lib.* cum scripsis-

 ser

(1) Κατηγορει δ' εν τοις εξης και του σωτηρος, ὡς γοητειᾳ δυνηθεντος, ἁ εδοξε παραδοξα, πεποιηκεναι.

set Celsum vera concedere, quae leguntur de curationibus; de Resurrectione, de multiplicatis panibus, at eodem illa numero habere, atque ea, quae praestigiatores faciunt, isthaec eius verba refert impia (1): *Num quia haec faciunt illi, ipsos Dei filios ducere nos oportet? an potius dicendum has artes esse hominum improborum, et nebulonum?* Sed et *n.* 38 eiusdem libri illum dixisse ait (2): *Occulte educatum* (Iesum), *cum in Aegypto suam locasset operam, artemque efficiendi mira didicisset, illinc rediisse, Deumque se ob ea Miracula venditasse*. Idem praeterea Celsus apud Orig. *lib. 6. n.* 39. Christi secratoribus Magica opera his verbis affingit (3): *Quid me oportet numerare, quam multi expiationes docuerunt, vel carmina, vocesque depellendis incommodis, vel formas, vel Daemonum effigies* etc. Tum *n. 6. libri* 1. calumniator Epicureus asserit Fideles Daemones expellere per car-

---

(1) Αρ' επει ταυτα ποιουσιν εκεινοι, δεησει ἡμας αυτους ἡγεισθαι ὑιους ειναι Θεου; η λεκτεον αυτα επιτηδευματα ειναι ανθρωπων πονηρων, και κακοδαιμονων;

(2) Αυτον σκοτιον τραφεντα, μισθαρνησαντα εις Αιγυπτον, δυναμεων τινων πειρασθεντα εκειθεν επανελθειν, Θεον δι' εκεινας τας δυναμεις ἑαυτον αναγορευοντα.

(3) Τι με δει καταριθμειν, ὁσοι καθαρμους εδιδαξαν, η λυτηριους ῳδας, η αποπομπιμους φωνας, η εκτυπους, η δαιμονιους σχηματισμους;

carmina, et quorundam Daemonum nomina. Unde intelligi datur, Celsum non modo Christi prodigia, verum ea quoque, quae a Christianis suo aevo gerebantur, vera agnovisse; licet per calumniam ea Magicae disciplinae tribuenda esse diceret. Porro post Celsum saeculo Ecclesiae tertio Porphyrius Tyrius Philosophus, alter rabidus adversus Christum canis, in eo opere, quo Nostram Religionem acriter oppugnavit, fatetur quidem ad Martyrum tumulos miranda fieri opera; sed statuit tamen esse Daemonum praestigias, auctore Hieronymo *lib. contra Vigilantium*. Pari modo, post Celsum, et Porphyrium, Hierocles sub Diocletiano stylum contra Christum acuit; eumque *libro* insectatus est, quem φιλαλήθη, idest *Veritatis amantem* nuncupavit, quoque impiam inter Nostrum Servatorem, et Apollonium Tyaneum comparationem instituit: In isto igitur libro, quem vix editum statim confutavit Eusebius Caesareensis, concedit Hierocles a Christo patrata esse prodigia, at non idcirco Deum illum habendum esse dicit. En eius verba apud Eusebium initio *libri advers. Hierocl.* (1): *Ubique* per-

(1) Ἀνω δε και κατω θρυλλουσι σεμνυνοντες τον Ἰησουν, ὡς τυφλοις αναβλεψαι τε παρασχοντα, και τινα τοιαυτα δρασαντα θαυμασια . . . ἡμεις μεν τον τοιαυτα πεποιηκοτα ου Θεον, αλλα θεοις κεχαρισμενον ἡγουμεθα· ὁ δε δι' ολιγας τερατειας τινας τον Ἰησουν θεον αναγορευουσι ί

perstrepunt (Christiani) *celebrantes Iesum*, *quod caecis visum reddiderit*, *et quaedam huiusmodi fecerit miranda* . . . . . *Nos quidem eum qui talia facit*, *non Deum*, *sed Diis carum existimamus*: *illi vero propter aliqua pauca prodigia Iesum Deum salutant* . Hieroclem secutus est Iulianus Augustus, qui Christianam Fidem, in qua natus, atque educatus fuerat, postea deseruit, in eamque scripsit. Huius impii Apostatae calumniis, et criminationibus occurrit Cyrillus Alexandrinus, docto elaborato opere, inque decem libros dispertito: in quo plura adversarii loca nobis servavit. Ex istis autem Iuliani fragmentis illud praecipua animadversione est dignum, ubi diserte pronunciat Iesum claudos, et caecos sanasse; tametsi addit, haec nequaquam magnorum operum numero esse ducenda. Sic enim apud Cyrill. *lib.* 6 inquit (1): *Celebratur* (Iesus), *qui*, *quo vixit tempore*, *nil auditu dignum fecit*; *nisi quis putet claudos*, *et caecos sanitati reddere*, *et a Daemone correptos liberare in Bethsaida*, *et Bethania vicis*, *magna opera esse*. Deinde *lib.* 10. confiteri non dubitat, Apostolos eorumque successores Miracula egis-

---

(1) Ονομαζεται εργασαμενος, παρ' ον εζη χρονον, ουδεν ακοης αξιον, ει μη τις οιεται τους κυλλους, και τυφλους ιασθαι, και δαιμονωντας εφορκιζειν εν Βηθσαϊδᾳ, και Βηθανιᾳ κωμαις, των μεγιστων εργων ειναι.

egisse , sed illos impudenter accusat , quod Magicam artem exercuerint , eiusque auxilio haec mira effecerint (1): *Quod* , inquit , *et vestros Apostolos credibile est post Magistri mortem facientes , vobis ab initio tradidisse , qui primi credidistis, et maiori , quam vos , dexteritate praestigiis esse usos ; sed et posteris harum praestigiarum , atque huius exsecrationis officinas publice exposuisse* . His adiici possunt Ammiani , et Nazarii luculenta testimonia , per nos supra prolata , de insignibus prodigiis , quae Constantino , et Iuliano imperantibus evenerunt .

E quibus perquam evidenter demonstratur , adeo cunctorum oculos suo splendore perstrinxisse Christi , sectatorumque eius prodigia , ut vel ipsi Christiani nominis acerrimi inimici Celsus, Porphyrius , et Iulianus illa inficiari nequiverint . Nam procul dubio videbant Viri perspicaces, acrique ingenio, longe opportunius , et utilius esse caussae , quam tuebantur , si ea penitus negarent . Verum cum illa falsa proba-

 re

---

(1) Ο' δε και τους Αποστολους ὑμων εικος εστι μετα την του διδασκαλου τελευτην επιτηδευσαντας , ὑμιν τε εξ ἀρχης παραδουναι τοις πρωτοις πεπιστευκοσι , και τεχνικοτερον ὑμων αυτους μαγγανευσαι · τοις δε μετ' αυτους αποδειξαι δημοσια της μαγγανειας ταυτης , και βδελυριας τα εργαστηρια.

re desperarent, neque aliud, quo se verterent, haberent, per summam impudentiam Magicae virtuti tribuere maluerunt. Qua quidem in re et aliud mirari subit, Celsum Philosophum, licet quodam in opere *adversus Magiam* scripto vanam eam esse censuerit, teste Origene *lib*. 1. *contra Cels. n.* 68; quo tamen facilius Christianos impugnare posset, mutata sententia, eiusdem artis virtutem admisisse. Ceterum non ii tantum, quorum testimonia produximus, Christum, eiusque discipulos ob Miracula Magiae insimularunt; verum longe antiquior est haec calumnia, et in ipso Christianismi exordio ab Iudaeis Evangelio adversantibus iactata, uti *Matth. c.* 12. *Marc. c.* 3. *et Luc. c.* 11. testantur. Postea a Iudaeis celerrime per omnes regiones est diffusa; et magnam in invidiam apud Ethnicas quoque gentes Christianum nomen adduxit. Ex quo intelligimus, cur Suetonius in *Ner. c.* 16. Christianos vocet *genus hominum superstitionis novae, et maleficae*. Sed et vetusta Ecclesiae monumenta manifeste nos docent, Fideles a Gentilibus Magos habitos esse ob illustria portenta, quae passim efficiebant. Indicant id praeter alios Tertullianus in *Apolog. c.* 23, Hieronymus *in Vita Hilarionis*, et Augustinus *lib.* 21. *de Civit. Dei c.* 8; uti *Acta SS. Perpetuae, et Felicitatis, SS. Bonosi, et Maxim.* ac *SS. Martyrum Persidis* apud Ruinartum.

Sed

Sed quam inane, et a vero distans istud Magiae effugium fuerit, pluribus prisci Religionis defensores in suis operibus ostendunt. Nam primum respondent, Christum, Christique discipulos nullis usos fuisse Magicis cantionibus, impiisque caeremoniis, sed sola Divina virtute innixos miranda opera gessisse. Adiiciunt quoque vetita Fidelibus esse exsecrandae illius artis mysteria: idque tum ex lege Mosaica suadent, tum ex sacro *Actorum libro cap.* 19, ubi quosdam recens ad Christum conversos legimus superstitiosos, Magicosque libros flammis tradidisse. Deinde observant, Evangelicos praecones per Miracula in homines vera, et insignia beneficia contulisse, eosque a vitiis ad virtutem, et honestatem traduxisse: quod utique de veneficis, et Magis dici non poterat, qui improbiores, et deteriores homines reddebant, inanique tantum specie, et praestigiis oculos fallendo, corpora potius laedebant, quam sanabant. Ad haec docent, id Christo, et Apostolis Evangelii praedicatione fuisse propositum, ut falsorum Numinum, sive Daemonum superstitiosus cultus tolleretur, et mortales ab Idololatria ad veri Dei cognitionem pertraherentur; nequaquam vero tam salutare consilium Magiae praesidio perfici potuisse: quandoquidem et isthaec tota in eo erat posita, ut nefandis ritibus, et sacrificiis magis Idololatria, Daemonumque cultus proveheretur; et ipsi Daemones domi-

minationem extingui suam haud passi essent. Quo sane argumento ad Iudaeos refellendos usum quoque Christum fuisse ex Evangelio novimus. Postremo summam extollunt Christianorum potestatem, per quam veneficia, praestigiasque abolerent, omnesque Magiae conatus reprimerent: ex quo conficiunt, eos in Miraculis patrandis non Magicae disciplinae facultatem adhibuisse, sed vim, virtutemque, quae Daemonum potestate longe esset superior. Eiusmodi fere rationibus Irenaeus *lib.* 2. *c.* 31. *et* 32. Tertullianus in *Apolog. c.* 23. Arnobius lib. 1. *advers. Gentes*, Origenes haud semel in suis *contra Cels.* libris, aliique, praesertim vero Eusebius *cap.* 6. *lib.* 3. *Demonstr. Evang.* contra Fidei hostes pugnare consueverunt, calumniamque illam Magiae a Christianis propulsare conati sunt. Nihilo tamen secius Gentiles, qui tot argumentorum evidentiae manus dare debuissent, Divinamque eam Religionem fateri, quae maximis, et certissimis prodigiis commendabatur, ne caussa cadere viderentur, idem Magiae crimen, ut antea, Christi fidelibus exprobrare perseverarunt. Hinc factum est, ut nec ipsum Iulianum Principem, qui Philosophi nomine gloriabatur, tam insulsam iterare cantilenam in suo contra Christianos opere puduerit.

Nec vero defuere tunc temporis Philosophi quidam, qui novam insistere oportere viam rati sunt, quo labantem Idololatriam fulcirent,

rent , et simul argumentum Christianorum a Miraculis desumtum debilitarent . Nimirum ii nescio quam Theurgiam excogitaverunt , per quam homines Deos medios , Daemones nuncupatos , sibi conciliare , ac deinde horum ope faciles ad caelestes summosque Deos aditus habere possent ; quibuscum commercium assequentes , tandem et summam felicitatem adipiscerentur , et mira efficiendi facultate donarentur . Huius autem Theurgiae si minus auctores, propagatores certe fuere Plotinus , Amelius , Porphyrius , et Iamblichus : qui quidem nihil aliud in ea commendanda spectarunt , nisi ut suaderent per Theurgica mysteria quemlibet hominem factitare magna prodigia posse ; ut propterea tum Christianorum, tum Ethnicorum una eademque foret virtus portentifica , eodemque fonte manaret . Quod ipsum ut exemplo aliquo probaretur , Porphyrius , et Iamblichus *Vitam Pythagorae* concinnarunt ; in qua multa a Samio Philosopho miracula edita exhibuerunt , quorum tamen nullam apud vetustiores Scriptores mentionem reperimus . Eodem plane consilio Philostratus Sophista *Apollonii Tyanei Vitam* octo libris exposuit , ubi plura paene prodigia enumerari dicas , quam versus : adeo tota , quanta quanta est , confictis narrationibus scatet . Ex hac tamen fabulosa , atque inepta *Philostrati Historia* Hierocles in eo , de quo diximus , libro , Christum cum Apollonio impie comparandi ,

di, imo hunc illi anteferendi ansam arripuit. Praeterea etiam Plotinum mirabilium operum effectorem fuisse Porphyrius *in eius Vita* testatur. Quin et ipsi Porphyrius, et Iamblichus, si Eunapium audiamus, illustria prodigia Theurgicarum expiationum ope factitarunt.

Sed iisdem rationum momentis, quibus Magiae crimen, callidum istud Theurgiae inventum facile evertebatur: neque enim alia re Magica sacra a Theurgicis, nisi solo nomine, discrepabant, cum utraque reapse ad inanium Deorum cultum amplificandum essent comparata. Verumtamen, cum nullum aliud Polytheismi patronis perfugium pateret, tela eiusmodi infirmissima in Christi cultores vibrare maluerunt, quam Miracula, quae ab illis opponebantur, omnino negare. Quod sane facere haud praetermisissent, si ea falsa et commentitia, uti dictitant Theistae, aut saltem dubia, atque obscura probare potuissent. Itaque tantum abest, quidquam ut noceat Miraculorum veritati isthaec Magiae criminatio, ut potius, quemadmodum initio monui huius Capitis, per eam mirum in modum Christianae Religionis prodigiosa facta confirmentur, atque extra omnem dubitationis aleam posita, magis magisque effulgeant.

CA-

CAPUT III.

Celerrima Evangelicae doctrinae propagatio novum pro veritate Miraculorum Christianismi suppeditat argumentum. Ante Constantinum Principem infinitus prope Fidelium numerus, eorumqne plures docti, et nobiles. Sub Christianis Augustis Ethnici Christo nomen dare minime coacti.

SI quis sedulo, ac diligenter reputare secum velit mirabilem illam rerum mutationem, quae Apostolis, eorumque successoribus Evangelium praedicantibus, toto Orbe facta est, qua nempe e singulis gentibus, ac populis innumerabilis hominum multitudo repente, relictis patriis ritibus, et moribus, Novam Religionem animi cupiditatibus vehementer obluctantem est amplexata, novaque dogmata captum humanum valde excedentia est secuta; idque honoribus omnibus, commodis, divitiis, ipsaque vita neglecta, cum undique et ab Ethnicorum Sacerdotum, ac Philosophorum invidia, et a Magistratuum, ac Principum immanitate, et a concitatae plebis furore quotidie exilii, bonorum publicationis, dirorum cruciatuum, mortisque acerbissimae pericula instarent: si quis, inquam, sedulo, diligenterque haec omnia reputare velit, facere profecto non potest, quin ea non sine praesentissima Divini Numinis virtute, ingen-

gentibusque prodigiis contigisse sibi persuadeat. Atque id adeo clarum, et perspicuum omnibus videri debet, ut etiamsi de Miraculis nihil neque Codices Sacri, neque Ecclesiae Scriptores unquam meminissent; tamen tam inopinatam, tamque incredibilem rerum conversionem non nisi admirandis factis, tanquam caussae effectum, necessario adscribere oporteret. Quapropter optimo iure, ut certissima esse probent Christianismi Miracula, hocce argumento tantopere solent delectari recentiores Religionis defensores; quamquam priscos etiam Fidei vindices eadem argumentandi ratione summa vi adversus Ethnicos usos fuisse minime ignoramus. Et sane praeclara in hanc sententiam affert Origenes *lib.* 8. *contra Cels. n.* 47. cuius haec sunt verba (1): *Non est probabile Iesu Apostolos, viros illiteratos, et rudes, alia re confisos praedicasse hominibus Christianam doctrinam, quam data ipsis Miraculorum virtu-*

(1) Ου πιθανον ουτε τους Ιησου Αποστολους ανδρας αγραμματους, και ιδιωτας αλλῳ τινι τεθαρρηκεναι προς το καταγγειλαι τοις ανθρωποις τον χριστιανισμον, η τῃ δοθειςῃ αυτοις δυναμει, και τῃ εν τῳ λογῳ εις τα δηλουμενα πραγματα χαριτι, αλλ᾽ ουδε τους ακροωμενους αυτων μετατεθεισθαι εκ πατριων πολυχρονιων εθων, μη αξιολογου τινος δυναμεως αυτους, και τεραστιων πραγματων μετακινησαντων επι τα ούτω ξενα, και αλλοτρια των συντροφων αυτοις δογματων.

tute, et gratia eorum praedicationis comite, ut annuntiata doctrina reciperetur; neque eorum auditores a patriis vetustate confirmatis moribus traductos esse ad dogmata tam nova, et ab iis, quibus innutriti erant, aliena, nisi mirifica quadam potentia, et prodigiosis operibus essent permoti. Et *lib.* 1. *n.* 38. absurdum esse ait existimare, Apostolos nulla fecisse Miracula, ita scribens (1): *Dicere quidem haud edidisse Miracula* (Apostolos), *sed credentes nulla persuadendi peritia, cuiusmodi est Graecorum Dialectica, novam doctrinam apud eos promulgandam suscepisse, ad quos ituri erant, est plane a ratione alienum*. Egregius quoque est, plurimumque ad rem nostram facit Arnobii locus *lib.* 1. *adversus Gent. Quod si falsa*, inquit, *ut dicitis, Historia illa rerum est* (idest Miraculorum Christi), *unde tam brevi tempore totus mundus ista Religione completus est? aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus disiunctae, ventis coelique convexionibus dimotae? Asseverationibus illectae sunt nudis, inductae in spes cassas, et in pericula capitis immittere se sponte temeraria de-*

---

(1) Το μενουν λεγειν, ότι ουδαμως δυναμεις εποιουν, αλλα πιστευσαντες ουδεμια λογων ίκανοτητι, παραπλησιως τη εν διαλεκτικη Ελληνων σοφια, επεδωκαν ίαυτους τω καινον διδασκειν λογον, όις αν επιδημησωσι, πανυ εστιν αλογον.

desperatione voluerunt , quum nihil tale vidissent , quod eos in hos cultus novitatis suae posset excitare Miraculo? Imo quia haec omnia et ab ipso cernebant geri , et ab eius praeconibus , qui per Orbem totum missi , beneficia patris et munera sanandis animis , hominibusque portabant , veritatis vi ipsius victae , et dederunt se Deo , nec in magnis posuere dispendiis membra vobis proiicere , et viscera sua lanianda praebere . Similia fere his habet Eusebius *cap. 6. lib.* 3. *Demonstrat. Evang.* ubi sic graviter ratiocinatur (1) : *Cum ego considе-*

(1) Αλλα παλιν αφορων εις την του λογου δυναμιν, ώς μυρια πληθη πεπεικεν, και ώς συνεστησαν μυριανδροι Εκκλησιαι προς αυτων εκεινων των ευτελεστατων, και αγροικων του Ιησου μαθητων, ουκ εν αδηλοις που, και αφανεσι τοποις, αλλ᾽ εν ταις μαλιστα διαπρεπεσταταις πολεσιν ιδρυθεισας, επ᾽ αυτης, λεγω, της Ρ᾽ωμαιων βασιλευουσης, επι τε της Αλεξανδρεων, και Αντιοχεων, και καθ᾽ όλης τε της Αιγυπτου, και Λιβυης, Ευρωπης τε, και Ασιας, εν τε κωμαισ τε, και χωραις, και παντοιοις εθνεσι, παλιν εξ αναγκης ανατρεχειν εκβιαζομαι επι την του αιτιου ζητησιν, και συνομολογειν μη αλλως αυτους κεκρατηκεναι του τολμηματος, η θεωτερᾳ, και ύπερ ανθρωπον δυναμει, και συνεργιᾳ του φησαντος αυτοις, Μαθητευσατε παντα τα εθνη εν τῳ ονοματι μου . . . . Αλλα και πνευματος αυτοις εμπνευσαι λεγεται Θειου, αλλα και δυναμιν αυτοις ενθεον, και παραδοξοποιον πεποιηκεναι, τοτε μεν φησας, Λαβετε Πνευμα άγιον, τοτε δε ειπων, ασθενουντας θεραπευετε, λεπρους καθαριζετε, δαιμονας εκβαλ-

sidero eam doctrinae virtutem, ut innumeris populis persuaserit, utque constitutae sint frequentissimae Ecclesiae ab ipsis ignobilissimis, et rudibus Iesu discipulis, non in obscuris quibusdam, et vilibus locis, sed in longe nobilissimis urbibus fundatae, in ipsa, inquam, Roma aliarum principe, in urbe Alexandria, et Antiochia, per totam et Aegyptum, et Libyam, Europamque, et Asiam, in vicis, et regionibus, et quibusvis gentibus; retro recurrere necessario cogor ad caussae perquisitionem, et fateri non aliter ipsis tantum ausum prospere cessisse, quam diviniore, et humanam naturam superante ope, et potentia dicentis: Docete omnes gentes in nomine meo . . . . . . *Sed et ipsis Divinum Spiritum afflasse dicitur, et virtutem divinam, et portentificam indidisse; nunc quidem dicens:* Accipite Spiritum Sanctum,

F *nunc*

εκβαλλετε, δωρεαν ελαβετε, δωρεαν δοτε. Συνορας τοιγαρουν και αυτος, όπως κεκρατηκεν ὁ δ'ι αυτων λογος, επει και αυτων ἡ βιβλος των πραξεων συνῳδα τουτοις, και συμφωνα μαρτυρει· ενθα ἱστορουνται και αυτοι τῃ των παραδοξων ενεργειᾳ δ'ι ονοματος του Ιησου προς αυτων επιτελουμενη τους παροντας, και τους θεωμενους εκπληξαι . . . . Ταυτ' ην αρα, και ουδεν αλλο το ζητηθεν αυτο εκεινο, ὁποιᾳ δυναμει περιγεγονασι των εν αρχαις ακροωμενων ὁι του Ιησου μαθηται, και ὁπως Ἑλληνας ὁμου, και βαρβαρους, ὡς περι λογου Θεου, περι αυτου φρονειν επεισαν.

nunc vero aiens : Aegrotos sanate, leprosos mundate, Daemones expellite, gratis accepistis, gratis date. *Vides igitur ipse, quomodo superaverit illorum sermo; quoniam et Liber eorum Acta continens convenientia, et consentanea his testatur: ubi dicuntur ipsi quoque prodigiorum efficientia, quam per nomen Iesu obtinuerant, eos qui aderant, et spectabant, attonitos reddidisse*. Tum, nonnullis interpositis, ita concludit: *Hoc erat, et nihil aliud, ipsum utique quod quaerebatur, quali virtute victores fuerint eorum, qui ab initio audierunt, Iesu discipuli; et quo pacto Graecis simul et Barbaris, ut de eo tamquam de Deo sentirent, persuaserint*. Vulgatissimum demum est illud Augustini effatum *lib. 22. de Civit. Dei c. 5. Hoc nobis unum grande Miraculum sufficit, quod terrarum Orbis sine Miraculis credidit*; quasi dicat eos, qui Christianismi Miracula negant, longe maius prodigium fateri debere, totum scilicet Orbem nullis adductum Miraculis, Evangelio credidisse. Quod ipsum profecto ante Augustinum etiam Chrysostomus *Hom. 6. in Epist. 1. ad Corinth.* hoc pacto expresserat (1): *Si sine prodigiis* (Apostoli) *persuaserunt, multo maius prodigium fuisse apparet*. Cum igitur veteres quoque Reli-

---

(1) Ει σημειων χωρις επεισαν, πολλῳ μειζον το θαυμα φαινεται.

ligionis Christianae defensores ; non modo recentiores, Viri doctissimi , et in Dialectica versatissimi, in eo consentiant, ut ex mira Evangelii per omnem terram prolatione certa esse , atque explorata Miracula ostendant ; videant adversarii nostri , quanam fronte nullam huic argumento vim inesse ipsi asseverent.

Sed et alia ratio , meo quidem iudicio , omnium gravissima accedit , quod Christus Dominus non solum Apostolis , verum cunctis quoque hominibus , qui Evangelicae crederent doctrinae , virtutem efficiendi Miracula pollicitus fuit . Sic enim , Marco referente *c.* 16. discipulos paullo ante allocutus est , quam in coelum adscenderet : *Signa autem eos , qui crediderint , haec sequentur : in nomine meo Daemonia eiicient , linguis loquentur novis , serpentes tollent , et si mortiferum quid biberint , non eis nocebit , super aegros manus imponent , et bene habebunt* . Et apud Ioan. *c.* 14. idem expressius declaravit his verbis : *Amen , amen dico vobis : qui credit in me , opera quae ipse facio , et ipse faciet , et maiora horum faciet* . Ex qua Christi promissione non obscure perspicimus , hanc mirabilem potestatem Fidelibus promiscue concessam fuisse , veluti quamdam Fidei tesseram ; ut videlicet Ethnici, quos Divino eiusmodi munere enitere cernerent , apud eos veram quoque Religionem reperiri intelligerent . Quocirca , si nulla ab Apostolis , nulla a ceteris Fidelibus Miracula gesta

F 2 es-

essent, quo fieri pacto potuissset, ut falsorum Numinum cultores et ab impiis superstitionibus deterrerentur, et ad unius Dei cultum converterentur? aut quaenam alia ratio ad Christiana sacra suscipienda eos impulisset, si vanam Christi pollicitationem cognovissent, mendacesque in ea ipsa re, quae veluti indicium, et signum verae Religionis palam denuntiabatur, Evangelii praecones essent experti? Nec dicas, Christi discipulos variis artibus, verborumque strophis populos decepisse, iisque per falsa, simulataque prodigia insolitam doctrinam persuasisse. Nam, ista fraude, et simulatione tandem patefacta, et comperta, non modo augeri, et novos progressus facere Christiana res nequivisset; sed illi quoque, qui ad Ecclesiam se adiunxerant, ei nuncium remisissent. Cuius quidem rei luculentum habemus exemplum in Simonianorum, Menandrianorum, et Carpocratianorum antiquissimis sectis, quae, ut suis erroribus fidem et auctoritatem conciliarent, simplices, et incautos homines Magiae praestigiis, ut Irenaeus, et Epiphanius auctores sunt, circumvenire studebant: attamen, cognitis dolis, et fallaciis, ita brevi exstinctae fuerunt, ut nullum amplius earum vestigium superfuerit.

Iam vero, cum eiusmodi argumento, a miranda Christiani nominis progressione tracto, se vehementer premi sentiant Theistae, dici vix po-

potest, quantopere illud elevare, atque infirmare conentur. Ac primo aiunt, prioribus ante Constantinum aetatibus ad Ecclesiae societatem imperitos, et obscuros tantum, eosque paucos se adplicuisse; doctos vero, et nobiles Viros Evangelii praedicationi semper obstitisse. Adiiciunt deinde, sub Christianis Principibus omnes Gentiles, subversis Deorum delubris, ad Christi Fidem sectandam vi et armis fuisse adactos. At haec esse falsissima, Historiaeque monumentis contraria, nunc paullo copiosius operae pretium est demonstrare.

Quod ad primum attinet, maximum exstitisse Fidelium numerum, Gentilium Imperatorum aevo, pluresque ex iis fuisse genere illustres, non paucis cum Christianorum, tum praecipue Ethnicorum testimoniis diserte suadetur. Prodit id in primis Plinius Iunior, Auctor minime suspectus; qui *epist.* 97. *lib.* 10. *ad Traianum* scripta altero Saeculo ineunte, dum Asiae provinciae praeerat, non modo Urbes, sed etiam vicos, atque agros Christianis omnis ordinis repletos esse testatur: *Visa est*, inquit, *mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata* etc. Post Plinii aetatem, longe maioribus aucta est incrementis Ecclesia eodem saeculo, maximeque

 Com-

Commodo imperante; siquidem sub eo, ut tradit Eusebius *lib.* 5. *Hist. c.* 21. (1) *Salutaris doctrina ex omni hominum genere omnem animam ad pium Universorum Dei cultum pertrahebat; ut iam etiam Romae longe divitiis, et genere praestantes plures ad suam salutem simul cum tota domo, et familia accurrerent*. Ingentem praeterea Christianorum multitudinem sub initium tertii saeculi ita magnifice describit Tertullianus in suo *Apologetico cap.* 37: *Vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, forum; sola vobis relinquimus templa*. Hinc interim noscere licet, ad tantum numerum pertinuisse viros etiam nobilitate conspicuos. Quod quidem idem Scriptor apertius significat *lib. ad Scapulam cap.* 4. ubi de Septimio Severo loquens; qui initio imperii Christi cultores tuebatur, ait: *Clarissimas feminas, et clarissimos viros Severus sciens huius sectae esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornavit*, etc. Quantum autem medio ferme tertio

(1) Ὁ σωτήριος λογος εκ παντος γενους ανθρωπων πασαν ὑπηγετο ψυχην επι την ευσεβη του των ὁλων Θεου θρησκειαν· ὡστε ηδη και των επι Ῥωμης ευ μαλα πλουτῳ, και γενει διαφανων πλειους επι την σφων ὁμοσε χωρειν πανοικι τε, και πανγενη σωτηριαν.

tio saeculo Christiana respublica aucta sit, manifestum facit Dionysius Alexandrinus, tunc temporis vivens, in *epist. ad Hermammonem* apud Eusebium *lib. 7. Hist. c.* 10; in ea enim, ut probet Valerianum Augustum prioribus imperii annis satis benevolo in Christianos animo fuisse, his utitur verbis (1): *Tota eius domus piis hominibus plena erat, et Dei Ecclesia videbatur*. Porro non ex plebeia tantum artificum fece, et infimae notae hominibus, verum ex nobilibus quoque, ac generosis conflatam Ecclesiam fuisse, ex eodem Dionysio apparet; qui in quadam epistola apud Eusebium *lib. 6. Hist. cap.* 12. plures narrans e Christianis in immani Decii persecutione Idololatriae crimen admisisse in Aegypto ob timorem, haec scribit (2): *Et multi quidem ex illustrioribus alii occurrerunt prae metu, alii rempublicam administrantes suis actionibus trahebantur*. Id ipsum insuper confirmat Cyprianus Carthaginiensis Episcopus, Dionysio aetate par. Cum enim *in libro de lapsis* hanc caussam fuisse observet, cur magnus fidelium numerus, Decii edicto per-

 ter-

(1) Και πας ὁ οικος αυτου θεοσεβων πεπληρωτο, και ην Εκκλησια Θεου.

(2) Και πολλοι μεν ευθεως των επιφανεστατων οἱ μεν απηντων δεδιοτες, οἱ δε δημοσιευοντες ὑπο των πραξεων ηγοντο.

territus, in Idolorum cultum prolapsus fuerit, quod plurimi praedivites, et pecuniosi veriti fuerint, ne fortunis, ac possessionibus suis spoliarentur; dubitare nos non sinit, etiam honestiores, et ditiores eo, quo de loquimur, tempore, inter Christianos numeratos esse. Huc quoque accedit Valeriani in Christianos edictum; unde discimus, illo regnante, complures Senatorii, et Equestris ordinis viros Christi disciplinam amplexos fuisse. Eius edicti praecipua capita a Cypriano *epist. ad Successum* 82. *edit. Pamel.* sic referuntur: *Ut Senatores, et viri egregii, et Equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur . . . . Matronae, ademtis bonis, in exsilium relegentur: Caesariani quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur.*

Quod si ad Diocletiani principatum, qui proxime Constantiniana tempora antecessit, animum advertere velimus, vel ex una Eusebii, qui eiusdem fuit aetatis, Historia cognoscimus, mirum in modum sub eo Imperatore Christianam doctrinam toto Orbe diffusam esse, plurimosque etiam nobiles, et claros viros sectatores habuisse. Omnino hic Auctor *lib.* 8. *c.* 1. inde magnam felicitatem, magnosque progressus Ecclesiae ostendit, quod Fideles omnes a Diocletiano, eiusque Collegis, antequam crudelissimum in eos promulgaretur edictum, humane et benigne essent tractati; imo et regendis pro-

vin-

vinciis praepositi (1) : *Argumentum*, inquit, *fuerit dominantium erga nostros benignitas*, *quibus etiam provinciarum administrationem committebant, a sacrificandi metu eos eximentes*. Sed quam in immensum excreverit per idem tempus Christianorum multitudo, nil magis esse potest indicio, quam epistola a Maximino Caesare ad suos Praefectos missa; in qua iis imperavit, ut Christi cultores insectari religionis caussa desisterent, omnesque frui sua libertate paterentur. Nam initio huius epistolae (cuius exemplum Graece redditum exstat apud Euseb. *lib.* 9. *cap.* 9.) Diocletianum, et Maximianum persecutionem iussisse legimus (2) : *Postquam cognoverunt propemodum omnes homines*, *relicto Deorum cultu*, *ad Christianorum societatem se applicuisse*. Idem vero Maximinus alia epistola, qua decretis civitatum adversus Christianos respondit, quamque Eusebius *c.* 7. *lib.* 9. integram affert, ut indicaret, quam longe lateque Christi Religio pa-te-

(1) Τεκμηρια δ' αν γενοιτο των κρατουντων αἱ περι τους ἡμετερους δεξιωσεις· οἱς και τας των εθνων ενεχειριζον ἡγεμονιας, της περι το θυειν αγωνιας αυτους απαλλαττοντες.

(2) Ἡνικα συνειδον σχεδον ἁπαντας ανθρωπους, καταλειφθεισης της των Θεων θρησκειας, τῳ εθνει των χριστιανων ἑαυτους συμμεμιχοτας.

teret, illam impie dixit, *Universam terram propemodum dedecore opplevisse* (1). Quod sane testimonium, utpote ab implacabili Christiani nominis hoste profectum, neminem, qui reiicere velit, fore arbitramur. Haud ergo Oratorum more nimis rem amplificare, atque exaggerare voluisse censendus est Lucianus Martyr, cum in Oratione apud Praesidem habita, quam *Historiae Eusebianae lib. 9. c. 6.* Rufinus attexuit, maiorem fere Orbis partem Christiana sacra suscepisse, hoc pacto innuit: *Pars paene Mundi iam maior huic veritati adstipulatur, urbes integrae.* Nec vero cuiquam mirum videri debet, quod ait Lucianus, integras civitates Christianas factas: siquidem ab Eusebio gravissimo Auctore *lib.* 8. *c.* 11. accepimus, dum Diocletiani iussu immanissime vexabantur Fideles, Urbem quamdam in Phrygia totam, cum Magistratu, et incolis omnibus honoratis, et plebeiis Christum Deum invocantibus, obsessam et crematam fuisse. Ex qua etiam Eusebii narratione magis erudimur, Diocletiani aevo honoratos quoque, ac nobiles homines, non modo humiles, plebeiosque Christi Ecclesiae adscriptos fuisse. Sed et hoc ipsum ex eiusdem Principis adversus Chri-

(1) Σχεδον ειπειν, τα πανταχου της οικουμενης αισχυνης επιεζε.

Christianos edicto aperte deducitur ; quo inter alia iussit, teste Euseb. ad calcem *lib.* 8. *Histor.* (1) *Viros honoratos honoris amplitudine privari* . Cui quidem Eusebii testimonio apprime consentaneum est, quod scribit Lactantius *c.* 13. *de Mort. Persecut.* Diocletianum videlicet imperasse, Christianos *omni honore, ac dignitate spoliari*. (2).

Quod

---

(1) Τοὺς μὲν τιμῆς ἐπειλημμένους ἀτίμους.

(2) *Sunt qui, ad miram Christiani Nominis propagationem demonstrandam, loco quodam Senecae* lib. de Superstitione *utuntur* , *qui apud Augustinum* lib. 6. c. 11. de Civit. Dei *sic legitur* : Usque adeo sceleratissimae gentis consuetudo convaluit, ut per omnes iam terras recepta sit : victi victoribus leges dederunt. *At perperam Senecae istam affingi sententiam, eiusque verba haud recte intellecta esse* , *ex accurata* , *atque attenta citati Augustini capitis lectione plane cognoscitur* . *Namque ibi non de Christianis* , *sed de Iudaeis, ut Augustinus ipse observat, verba facit Romanus Philosophus ; quorum ritus* , *ac praecipue Sabbati religionem damnans* , *hanc eandem consuetudinem ubique terrarum obtinuisse scribit* . *Nec vero unum Senecam id tradidisse est arbitrandum ; siquidem plures alios ex Veteribus*

Quod autem complures quoque ingenii, et doctrinae laude excellentes, ante Constantinum Chri-

---

bus fuisse novimus, qui idem de pervulgato Sabbati cultu in suis operibus testatum reliquerunt. *Et sane Philo Iudaeus* lib. de Mundi Opif. *Sabbatum non unius Urbis, ac regionis, sed totius Orbis esse festum diem asserit. Nec non Iosephus, qui aeque ac Philo, Senecae aetate prope par dicendus est*, lib. 2. contra Apionem n. 39. *nullam esse urbem ait neque Graecorum, neque Barbarorum, nullamque nationem, ad quam Sabbati religio non pervenerit. Plura etiam de honore septimae diei ab Ethnicis tributo habent Aristobulus apud Euseb.* Praep. Evang. lib. 13. c. 12. *Clemens Alexand.* Strom. lib. 5. et *Tertull.* Apolog. cap. 16. *Sed et idem Seneca* epist. 95. *nonnullos e Romanis Sabbatum coluisse his verbis significat*: Accendere aliquam lucernam Sabbatis prohibeamus: quoniam nec lumine Dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine. *In eo tamen Seneca nonnihil notandus videtur, quod hunc Sabbati servandi morem ab Iudaeis ad omnes alias gentes dimanasse, illosque victos victoribus leges dedisse existimavit.* Nam longe ante, *quam a Graecis, aut Romanis victi Iudaei essent, ullumve etiam cum iis commercium haberent, cunctis Graeciae populis septima dies sacra erat, ac religiosa. Te-* sta-

Christianam disciplinam professi sint, id etiamsi ex iis, quae huc usque disseruimus, satis [illegible] argui [illegible]

---

statur id Hesiodus Pöeta vetustissimus, Homeroque fere aequalis ver. 6. Dierum.

Εβδομη ιερον ημαρ
Τη γαρ Απολλωνα χρυσαορα γ' εινατο Λητω,
Septimu dies sacra:
„ Ea enim Apollinem aureum edidit Latona.

Quin et affertur in hanc rem a Clemente Alex. cit. lib. Strom. *quidam Homeri versus, qui tamen in vulgatis Homeri operibus desideratur:*

Εβδοματη δ' υπειτα κατηλυθεν ιερον ημαρ
„ Septima deinde illuxit sacra dies.

His addi potest Solon, qui Atheniensibus leges dedit: etenim is, eodem Clemente auctore, sacris diebus septimam in Elegiis adnumerat. Itaque omnino ea nobis sedet sententia, Graecos, Romanosque minime ab Iudaica gente Sabbati cultum didicisse; verum idcirco illud religiosum duxisse, ut nempe vel Apollinem, uti ex Hesiodo audivimus, vel Saturnum, unde nomen apud eos sortitum erat, venerarentur. Scitum est enim ex Dione lib. 37. c. 21. *ab Aegyptiis ad omnes homines morem septenos referendi dies ad septem Planetas traductum fuisse: ex quo deinde factum est, ut singuli dies in eorum Numinum honorem, quibus consecrati erant,* *festi*

argui queat, aliis tamen rationibus confirmare plurimum proderit. Atque ut illos praeteream, qui in Sacris Codicibus memorantur, tam multi viri, praesertim Episcopi, post Apostolos eruditione floruerunt, ut ii soli, quorum vetera monumenta, in primisque Eusebii Historia me-

---

festi haberentur. Atque id quidem non obscure ex veteri oraculo colligitur, quod Eusebius refert lib. 5. Praep. Evang. c. 14.

Κλῄζειν Ἑρμῆν, ἠδ' Ἠέλιον κατὰ ταυτὰ
Ἡμέρῃ ἠελίου, Μήνην δ' ὅτε τῆς δε παρείη
Ἡμέρη, ἠδε Κρόνον, ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην.
„ Invoca Mercurium, et Solem pariter
„ Solis die, Lunam vero, cum eius adfuerit
„ Dies, et Saturnum, et eodem modo Venerem.

Huc etiam spectat Tertulliani illud. lib. 1. ad Nationes c. 13. Non longe a Saturno, et Sabbatis vestris sumus. *Quod si quis, minime his rationibus permotus, adhuc contendat Senecae verba ab Augustino allata non de Iudaeis, sed de Christianis esse interpretanda, eumque Dominicam diem per totum Orbem suo aevo receptam, quam per errorem cum Sabbato confudit, indicare voluisse; haud valde huic opinioni repugnabo; modo tamen is mecum fateatur, nos ad rem propositam probandam certis, atque exploratis, non vero dubiis argumentis, aut coniecturis uti debere.*

meminerunt ; quorumque aut opera , aut saltem fragmenta , et tituli librorum ad nostram memoriam manserunt , expugnandae Theistarum pertinaciae satis superque esse possint . In horum plane numerum veniunt Ignatius , Polycarpus , Hegesippus , Papias , Quadratus , Aristides , Athenagoras , Agrippa , Miltiades , Apollonius Romanus Senator , alter Apollonius , Dionysius Corinthius , Philippus , Modestus , Musanus , Iustinus , Irenaeus , Pantaenus , Serapion , Clemens Alexandrinus , Theophilus Antiochenus , Meliton , Rhodon , Tertullianus , Tatianus , Caius Romanae Ecclesiae Presbyter , Minutius Felix , Cyprianus , Origenes , Dionysius Alexandrinus , Hippolytus , Gregorius Thaumaturgus , Methodius Tyrius , Anatolius , Arnobius , Lactantius , Eusebius Caesareensis , aliique : quos omnes si minus doctrina , et ingenio Ethnicis suorum temporum Scriptoribus praestitisse , at certe eos aequavisse optimo iure dicemus . Ad haec Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromat. cap. 18.* non paucos Philosophos ad Christi cultum perductos esse luculenter asserit , cum inquit (1): *Mu-*

(1) Ο' δε γε του διδασκαλου του ἡμετερου λογος ουκ εμεινεν εν Ιουδαιᾳ μονῃ , καθαπερ εν τῃ Ἑλλαδι ἡ φιλοσοφια· εχυθη δε ανα πασαν την οικουμενην , πειθων Ἑλληνων τε ὁμου , και βαρβαρων κατ' εθνος , και κωμην , και πολιν πασαν , οικους ὁλους , και ιδιᾳ ἑκαστον των επακηκοοτων , και αυτωνγε των φιλοσοφων ουκ ολιγους ηδη επι την αληθειαν μεθιστας.

Magistri nostri doctrina non in sola Iudaea mansit, quemadmodum in Graecia Philosophia: diffusa est vero per totum Orbem, persuadens Graecorum simul et Barbarorum gentibus, et vicis, et totis Urbibus, domos totas, et seorsim singulos audientium, et ipsorum Philosophorum non paucos ad veritatem traducens. Mirifice quoque nostrae caussae favet Origenes Clementis discipulus, non uno in loco sui contra Celsum operis; praecipue vero *lib.* 1. *num.* 27. ubi contra adversarium observat, idcirco paucos e Christianis doctos reperiri, quia maior semper quavis in societate indoctorum, quam literatorum est numerus. Haec sunt eius verba (1): *Necesse erat in eorum multitudine, qui doctrina permovebantur (quod plures sunt ignari, et rudes, quam qui in scientiis se exercuerunt), plures esse idiotas, et rudes sapientibus Viris. Verum haec perpendere nolens Celsus, benignam hanc doctrinam, et pertingentem ad omnem animam Solis ortum, simplicem esse, et quia*

(1) Αναγκαιον δ' ην εν πληθει κρατουμενων ὑπο του λογου, ὡς πολλαπλασιοι ὁι ιδιωται, και αγροικοτεροι των εν λογοις γεγυμνασμενων, πολλαπλασιους γινεσθαι τους ιδιωτας, και αγροικοτερους των συνετωτερων. Αλλα μη βουληθεις ταυτα ὁ Κελσος κατανοησαι, την του λογου φιλανθρωπιαν, και φθανουσαν επι πασαν ψυχην ανατολην ἡλιου, οιεται ειναι ιδιωτικην, και δια το ιδιωτικον, και ουδαμως εν λογοις δυνατον, ιδιωτων μονον κρατησασαν.

quia ipsa rudis, et nequaquam ad persuadendum efficax, rudes tantummodo, et imperitos devicisse arbitratur. Quibus plane verbis id sibi vult Origenes, plures sua aetate e Christianis fuisse literatos viros; qui tamen, si cum maiori imperitorum numero compararentur, pauci censeri possent. Sed omnium maxime illustre huiusce rei documentum praebet Arnobius; qui sub initium *lib.* 2. cunctarum disciplinarum professores, magnis ingeniis praeditos, ad Christi castra transisse gloriatur, atque inde veram esse illius doctrinam argumentatur: *Nonne*, ait, *vel haec saltem fidem faciunt argumenta credendi, quod iam per omnes terras in tam brevi temporis spatio immensi nominis huius sacramenta diffusa sunt? quod nulla iam natio est tam barbari moris, et mansuetudinis expers, quae non eius amore versa molliverit asperitatem suam, et in placidos sensus, assumta tranquillitate, migraverit? quod tam magnis ingeniis praediti Oratores, Grammatici, Rhetores, Consulti iuris, ac Medici, Philosophiae etiam secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis, quibus paullo antea fidebant?* Hoc profecto quantivis pretii Arnobii loco nihil ad rem nostram declarandam luculentius, nihil ad adversariorum audaciam reprimendam validius inveniri unquam potest. Interea heic advertere haud pigeat, non Celsum modo, ut paullo ante ex Origene audivimus, Christianis ignobilitatem, et literarum inscientiam exprobrasse, sed eamdem quoque

 illis

illis intulisse calumniam omnes fere veteres Ethnicos; quemadmodum Minutii, Arrobii, et aliorum scripta nos docent. Neque id valde mirari debemus: cum enim Fideles ab honoribus, et publicis muneribus abhorrentes, in suis aedibus fere semper delitescerent, vitamque ab hominum communione paene segregatam degentes, ingenium suum haud vulgo probarent; hinc facile factum est, ut inepti, stupidi, et obscuri a Gentilibus et existimarentur, et dicerentur. Illud potius mirandum videtur, nostrorum temporum Theistas eadem maledicta in veteres Christianos coniicere nunquam cessare; quae quidem ab antiquis nostrae Fidei propugnatoribus strenue repulsa fuisse ignorare nequaquam possunt.

Verum ut adversariis demus solam plebeculam, et inficetum vulgus initio Christiana dogmata sectatum esse, ne sic quidem suo robore destituetur, vimque suam amittet productum a nobis argumentum. Nam quod dictitant, imperitos homines, et mulierculas nullo negotio ab avita avocari potuisse superstitione, id quidem rationi, atque experientiae vel maxime adversari videtur. Etenim nil magis, ut omnes norunt, alit fovetque superstitionem, falsasque opiniones, quam ingenii tenuitas, atque ignorantia: quare citius decem doctos, et ingeniosos, quam unum ignarum et rudem, aut unam mulierculam de prava sententia deduces.

Ita-

Itaque si nulla prodigiorum virtute freti, Evangelium per Orbem spargere instituissent Apostoli, multo aegrius, ac difficilius tunicato popello, hominibusque e trivio, quam literarum, ac Philosophiae peritis, vanum atque absurdum Ethnicismum probassent. Et quidem si multitudinem, quo vis vellet, attrahere esset proclive, cur quaeso, priscis Graeciae Philosophis non contigit, ut ad egregia colenda bene vivendi praecepta, quibus ipsorum scholae personabant, universos cives suos a vitiis purgatos adducerent? Cur Iudaei, qui adeo suae Religionis disseminandae studio flagrabant, ut mare, et terras circumirent, quo aliquem facerent proselytum (quemadmodum inquit Christus apud *Matth. c.* 23.), nullum propemodum ex tanto labore, et industria fructum ceperunt? Cur vaferrimi illius veteratoris Muhammedis suasionibus, et praeceptionibus non se promtos, ac faciles populares eius Arabes praebuerunt, nec nisi armis, vique compulsi, Alcorani legibus se subiecerunt? Demum, ut aliquid etiam ex Ecclesiae Historia delibem, nulla alia assignari potest ratio, quamobrem non ante Neocaesareenses baptismo initiati fuerint, quam Episcopi Gregorii admiranda opera conspexerunt, nisi quod rudis, et indocta multitudo ab inveteratis erroribus minime solis verbis, et sine prodigiis se avelli passa est.

 Su-

ctationem ; ipsa enim societatis mutua restitutio etiam ad homines in rectam viam reducendos valet. Nemo alteri molestiam facessat: quod cuique libeat, id et agat .... Qui autem se subtrahunt (a Fide) *habeant, quoniam ita volunt, mendacii delubra*. Illud tamen cum tanta Ethnicorum libertate pugnare videtur, quod *cap.* 45. *eiusdem libri* scribit Eusebius, Constantinum Gentiles sacra per Urbes, et agros peragere, lata lege, vetuisse. Verum hoc de sacrificiis privatis, non de publicis intelligendum esse iamdiu observavit ad eum Eusebii locum Valesius: planeque id ipsum *ex lege* I. *de Paganis*, *et* I. *de Maleficis Cod. Theodos.* colligitur. Quin et postrema Edicti verba, quae modo attulimus, non obscure idem significant; ut nihil iam de Libanio dicam, qui *Oratione ad Theod. pro templis* Constantinum templa expilasse conqueritur, at sacra prohibuisse negat. Constantinum in imperii administratione eius filii exceperunt: hique etiam ἐθελοθρησκείαν, seu Religionis libertatem, patrem imitantes, subditis gentibus concesserunt; licet Constantius postremis sui imperii annis per leges, quae *tit. de Pag. Cod. Theod.* habentur, Gentilium sacrificia interdixerit. Nam, quod ad Constantis legem spectat adversus sacrificia, quam eodem *tit. Codex Theod.* habet, eam valde credibile est non de omnibus, sed de quibusdam tantum sacrorum generibus accipi oportere: de iis enim loquitur

sacris, quae etiam Constantinus pater sua lege vetuerat; constat autem, ut modo vidimus, a Constantino non omne sacrum abrogatum esse'. Deinde Symmachus *in relatione ad Valentinianum* II. quae *inter epistolas libri* 10. reperitur, clare innuit, neminem alium ante Constantium aram Victioriae e Curia removisse, et sacrificandi libertatem eripuisse. Quapropter libentissime assentimur Benedictinis operum S. Ambrosii editoribus; *qui in adnotat. ad S. Doctoris epist.* 18. contra Baronium aliter in Annalibus sentientem, Constantem nocturna tantum sacrificia sustulisse statuunt. Constantius autem, etsi leges, quas diximus, promulgavit, nemini tamen vim intulit, ut Christum sequeretur; neminemque e Paganis religionis caussa vexavit, vel publicis muneribus indignum censuit. Sed quidquid de Constantii legibus sit, illud omnino compertum est, per istiusmodi leges Christianae Reipublicae nihil accessionis esse factnm: etenim, si nonnulli ex Ethnicis earnm metu ad Christnm sub Constantio se adiunxerunt, evecto mox ad Principatum Iuliano, qui Deorum cultum restituit, statim, posito timore, ad pristina sacra remigrarunt. Mortuo vero post biennium Iuliano, cunctis exercitus suffragiis Ioviano imperii honor mandatus est: at hic, Christianus quamvis esset, temporibus tamen inserviendum ratus, simulacra colere Deorum permisit; quo nomine a Themistio, Eshnicae superstitionis homi-

mine, *Oratione*, quae *Consularis* appellatur, commendatus fuit. Eadem sane vestigia pressit Valentinianus I. Ioviani in Imperio successor; is enim, teste Ammiano, illorum temporum Scriptore, *lib.* 30. *cap.* 9. *inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit, aut illud*. Quod idem declarat aperte Valentinianus ipse lege 9. *de Maleficis Cod. Theod.* ubi ad Senatum scribens ait: *Haruspicinam ego nullum cum maleficiorum caussis habere consortium iudico: neque ipsam, aut aliam praeterea concessam a Maioribus religionem genus esse arbitror criminis. Testes sunt leges a me in exordio imperii mei datae, quibus unicuique, quod animo imbibisset, colendi libera facultas tributa est*. Valentiniani exemplum secutum esse eius fratrem, et Collegam Valentem discimus ex *Hist. Theodoreti lib.* 5. *cap.* 21, atque ex Hieronymo *in Chronico*: quam ob caussam ipsi sacra malefica tantum prohibere sat habuerunt, ut ex *legg.* 7. 8. *et* 9. *de Malef.* Cod. *Theod.* apparet. Nec diversum consilium fuit Gratiano Valentiniani filio; quamvis eum fatendum sit aram Victoriae, quae Romae in Curia erat, diruisse, privilegia Vestalibus ademisse, Templorumque Gentilium reditus fisco addixisse. Imo et legem tulisse postea cum Valentiniano II. fratre, ne hostiae mactarentur, significare videtur Libanius citata *Oratione pro Templis*; cum a *fratribus sacrificare vetitum esse* scribit. Id enim haud

intelligi debet de Valentiniano I. et Valente; ut Gotofredo visum est *in Comm. ad tit. de Pag. Cod. Theodosiani*, nisi omnium veterum auctoritati refragari velimus. Attamen et superstitiosos ceteros ritus Gratianus, dum rerum potitus est, permisit; et eo interemto, Sacrificia restituta esse ex eadem Libanii Oratione, paucis post Gratiani caedem annis scripta, arguere licet: in ea enim nobilis ille Orator Romae tunc temporis sacra obtinuisse affirmat. Quod vero ad Theodosium Magnum attinet, licet hic una cum Valentiniano II. lege data an. 391. quae est 10. *de Pag. Cod. Theod.* cavit, ne sacra fierent, neve Templa adirentur, et simulacra colerentur; neminem tamen ex Ethnicis ad Christianam Fidem sectandam compulit: atque a superiorum Principum instituto haud discedens, Christianis aeque, ac Paganis dignitates, honoresque communes esse voluit, ut prae ceteris Prudentius Poëta *lib. advers. Symmachum* testatur.

Liquet igitur ex his, quae hactenus exposuimus, ab initio imperii Constantini usque ad Theodosium Magnum, idest toto fere quarto saeculo, Ethnicos magnam in Religionis negotio libertatem nactos esse; modo postremos annos Constantii, et Theodosii excipias, quibus illi editis legibus sacra Gentilibus interdixerunt. Quamquam ne tunc quidem sacra omnino interdicta fuisse dici potest: neque enim sacris ope-

operari destiterunt superstitiosi homines si minus publice, et propalam, privatim certe, et in occulto, Magistratuum indulgentia, ipsorumque Principum facilitate; qui in contumaces animadvertere haud è republica rati, sua edicta impune violari patiebantur. Quod profecto ex eo facillime demonstrari potest, quod a Theodosii M. morte primum Arcadius, atque Honorius eius filii, deinde Theodosius Iunior, tum Valentinianus III. et Martianus, postremo Leo, et Anthemius Augusti easdem instaurare, et renovare contra Paganorum sacrificia coacti sunt; ut uterque *Codex Theod.* et *Iustinian.* testis est locupletissimus. Demum saeculo quinto duriora, ac severiora nonnulla ab Honorio, et Theodosio II. in Gentiles constituta fuisse, ultro concedimus; praesertim cum a militia, et aliis quibusdam muneribus illos prohibuerint. Sed praeterquamquod eo quoque tempore ceteris publicis muneribus ii perfungi minime vetabantur, nec quisquam Christiana sacra suscipere iubebatur; illud etiam nosse oportet, ineunte saeculo quinto ita toto Romano imperio Ethnicismum debilitatum esse, et prope afflictum; ut vere dicere potuerit idem Theodosius leg. 22. *Cod. Theod. de Pag. se nullos iam Paganos superesse* credere. Quocirca, etiamsi quis opinari velit, Gentiles sub Honorio, Teodosio II. et hos secutis Principibus, legum severitate permotos, simulacrorum cultum abiecisse; inde tamen nequaquam con-

conficere valebit Evangelium vi , et suppliciis prolatum fuisse ; etenim , cum istae leges scriptae fuerunt , iam paene conciderat Idololatria, paucique admodum erant reliqui, qui tam impiae superstitioni mancipati essent.

Haec cum ita se habeant , nemo non videt , quam longe a vero aberrent Baylius , et Freretus , homines alioquin non inducti , ille in *diction. Hist. art.* Mahomet. hic in *Exam. Crit. Apolog. c.* 7. dum fidenter nimis asseverant , non potuisse nisi vi , et armis Christianam Religionem quaquaversus diffundi , et protendi . Nihil autem nunc loquar de Voltaerio , qui in *Specim. Hist. Gener.* veluti ex tripode pronunciat , Christianos Principes , saevis suppliciis , dirisque cruciatibus adhibitis , tandem pervicisse , ut Ethnici Christum sequerentur ; ideoque Evangelii propagationem innumerorum hominum sanguine stetisse . Itaque ut magis confirmem , non sine Divini Numinis potentia factum esse , ut Universus prope Orbis ad Evangelii lucem pervenerit , hoc unum adiiciendum statuo , quod adversarii negare nullo pacto audebunt . Per trecentos circiter annos tum Principes , tum Provinciarum Praefecti , tum ipsi populi Christianos , qui initio pauci erant , ad Fidem eiurandam omni poenarum , ac tormentorum genere impellere studuerunt , nec tamen hilum profecere ; quin in dies aucta est adeo Ecclesia , ut Diocletiani aevo dimidiam

fer-

ferme Orbis partem iam occuparet. Rursus vero post celebrem Constantini de Maxentio victoriam, Ethnicae superstitionis homines, qui plures numero Christianis erant, licet a nemine Religionis caussa vexarentur, licet si quando victimas immolare vetiti sunt, quominus reliquos impios ritus colerent, minime impedirentur, licet omnium honorum, et munerum aditus eis pateret; tamen intra centum annos, praeter paucos in agris, pagisque delitescentes, omnes Christiani sunt facti. Verum audiamus iam Theistas contra ea, quae de Miraculis disseruimus, plura opponentes.

CAPUT IV.

Theistarum argumentis adversus Miracula occurritur. Disputationis totius conclusio.

Non pauca certe sunt, quae adversus totam hanc Miraculorum doctrinam, praeter ea, quae a nobis superioribus iam capitibus sunt discussa, obiicere consueverunt adversarii nostri: quibus hoc loco respondeamus oportet, nec tamen omnibus, sed iis solum, quae maiora, et graviora videntur. Ecquis enim seria refutatione egere putet, quod aiunt, nos omnes Naturae vires ignorare, propptereaque iudicare non posse,

se, an quae Miracula dicuntur, vere caussarum naturalium virtutem superent? Nam etsi, quousque pertinere valeat Naturae vis, atque efficientia, nescimus, constat tamen eius virtutem haud esse infinitam, suisque limitibus coerceri: hinc scimus ex. gr. naturalium vi caussarum non posse panes multiplicari, mortuosque ad vitam revocari; neque homini naturaliter licere caecos, aliisque morbis laborantes illico sanitati reddere. Eiusdem est generis et illud, Deum Miracula non posse facere: quasi vero impedimento quidquam sit, quominus Is, qui Naturam condidit, atque ei certas leges, quibus regeretur, praescripsit, effectus quosdam Natura superiores, cum lubitum fuerit, edere queat. His igitur, ceterisque levioribus argumentis omissis, age, quae validiora videntur, consideremus.

Proferunt primo fabulosa Gentilium prodigia, quae tamen olim et vulgo credita, et a Scriptoribus tum Graecis, tum Latinis memoriae sunt prodita: hinc inter fabulas Christianismi quoque Miracula amandanda esse arguunt, licet pari credulitate vera habita sint, ac literis consignata. At acuti isti Philosophi, quid inter utraque intersit prodigia, haud satis viderunt. Nam Ethnicae superstitionis homines, cum suos Deos summa potentia praeditos esse, ac futura per Miracula portendere sibi persuasissent, quaecumque admiranda ab illis facta

nar-

narrabantur, quippe quae suis congruerent opinionibus, aequissimis auribus excipiebant; neque utrum vera essent, annon, admodum attendebant. Verum iidem, cum de Christianae Religionis Miraculis ageretur, quae illorum studiis, moribus, ac cupiditatibus contraria omnia suadebant, ea profecto, nisi veritate penitus comperta, non facile admittebant. Quemadmodum enim, ut vetus fert proverbium, quae volumus, facile credimus: ita rursus, ut iis, quae a nostra voluntate, atque opinione abhorrent, fidem adiungamus, aegre adducimur. Atque hinc intelligi potest, cur Iudaei, qui portentosa expellendi Daemones virtute gloriabantur, ut tum ex *Matth. cap.* 12., et *ex Actor. cap.* 19. tum ex Iosephi *lib.* 8. *Antiquit. cap.* 2. discimus, Christi quidem Miracula, quem legis Mosaicae eversorem arbitrabantur, vel inficiarentur, vel certe, ubi id non possent, elevare niterentur. Deinde Christianorum Miracula ab Auctoribus conscripta sunt, qui non modo iisdem vixere temporibus, verum factis quoque interfuerunt, eorumque non semel atque iterum, sed saepius testes oculati fuerunt; imo nonnulla ab iis ipsis, qui ea factitarunt, narrantur. Gentilium vero celebrata portenta vulgatis, et antiquis rumoribus nituntur, quos aetate posteriores Historici collegerunt; aut si eiusdem aevi Scriptores aliqua ex illis referunt, ea non ipsi viderunt, vel a fide dignis vi-

viris acceperunt, sed ex incerta hauserunt hominum fama: quas ob caussas nullam merentur fidem Attii Navii, Pythagorae, Apollonii Tyanei, Vespasiani; ceteraque huius generis prodigia. Mitto quod Philostrati, et Porphyrii scripta, quibus Apollonii, et Pythagorae Miracula continentur, non obscura produnt fraudis, ac mendacii indicia. Tum Gentilium prodigia, qui inter eos erant doctiores, vel ut fabellas aniles ridebant, vel ad caussas naturales referebant; quod prae ceteris in suis *de Nat. Deor.* et *de Divinat.* libris Tullius sollerter praestitit. Quin eo devenit iste portentorum contemtus Augusti saeculo, quo maxime Romae literarum et Philosophiae studia florebant, ut ea neque in publicum nuntiarentur, neque in Annalibus memorarentur, auctore Livio *lib.* 43. *cap.* 12. cuius verba recitare non piget. *Non sum nescius,* inquit, *ab eadem negligentia, qua nihil Deos portendere vulgo nunc credunt, neque nuntiari admodum ulla prodigia in publicum, neque in Annales referri.* Unde etiam perspicere licet, quam verum illud sit, hominum commenta tempore deleri, atque e rerum eventu facile fraudes detegi. Sed aliter prorsus de Christianorum Miraculis est disserendum: ea enim adeo testata, ac certa semper habita sunt, ut non solum nulla unquam Fidelibus vel doctissimis de illorum veritate suspicio soboriri potuerit, verum ipsi quoque Gentiles, ut supra docuimus ea-

eadem vera fateri necesse habuerint. Postremo quod totus paene Orbis ad Ecclesiam se aggregarit, id quidem ex Christi, eiusque discipulorum Miraculis factum esse antehac demonstravimus: neque vero tot pericula adire, tot incommodis se offerre homines constituissent, nisi illa evidentia, et plane explorata visa essent. At ex Gentilitatis prodigiis nulla nova secta, nulla religio ortum habuit: nec Pagani cum suorum Numinum prodigiis fidem adhibebant, alicuius rei vel minimae iacturam faciebant, vel aliquo in vitae discrimine versabantur. Quamobrem, cum longe diversa, ac dissimilia sint haec duo Miraculorum genera, sat inepte faciunt nostri adversarii, qui utraque eodem numero habere, atque inter se contendere non verentur.

Addunt praeterea, portentificam veterum Christianorum potestatem in fugandis ex hominum corporibus Spiritibus immundis potissimum eminuisse; verum observant, eos vulgari errore deceptos, vehementem melancholiae morbum Daemonum vexationem existimasse. Ex quo inferre videntur, ut in hoc Miraculorum genere, sic et in aliis Veteres falli potuisse. Nos tamen, ut hoc argumentum diluamus, nonnulla Historiae tum Sacrae, tum Ecclesiasticae facta expediemus; unde dilucide appareat, quos Energumenos Antiquitas appellavit, eos non melancholicos, et furiosos, sed vere

a Dae-

a Daemone correptos fuisse . Ac primo cum apud *Marc. c.* 5. et *Luc. c.* 8. per Christum quemdam hominem a vexantium Daemonum legione fuisse liberatum legimus , qui mox in porcos immissi , illos in lacum praecipitarunt ; numquid eum melancholiae vitio laborasse dicemus? Sic quoque , cum in *Actis Apost. c.* 16. traditur Paullus ancillam a Daemonis potestate eripuisse , cuius ope divinationes edebat , magnoque erat ob id Dominis lucro , et quaestui ; an quis divinandi , et vaticinandi vi pollere melancholiam , seu furorem arbitrabitur ? Deinde , quod ad Ecclesiae Historiam spectat , Hilarius *lib. advers. Constantium n.* 8. eodem loco , quem supra protulimus , inter alia mira , quae ad Martyrum monumenta fiebant, tradit a Daemonibus mox eiiciendis *elevari sine laqueis corpora, et suspensis pede feminis vestes non defluere in faciem* etc. Similia habet Sulpicius, dum S. Martini in expellendis Daemonibus virtutem enarrat *Dial.* 3. *Cerneres* , ait , *miseros diverso exitu perurgeri , hos sublatis in sublime pedibus , quasi in nube pendere , nec tamen vestes defluere super faciem , ne faceret verecundiam nudata pars corporum* . Ita quoque Paullinus *Nat. 7. S. Felicis* hominem a Daemone obsessum ad limina eiusdem Sancti memorat :

„ Cor-

„ Corpore verso
„ Suspendi pedibus spectantem tecta supinis:
„ Vestibus ut rigidis, aut ad vestigia sutis
„ Corporis omne sacrum casto velatur operto;
„ Scilicet ut divini operis reverentia tectis
„ Corporibus maneat, nec poena Daemon
„ in ipsa
„ Qua cruciatur, ovet, nudis prodendo pudorem
„ Artubus, illaeso gravius torquetur honesto.

Narrat deinde Hieronymus *in Vita Hilarionis*, Germanum hominem, Constantii Imperatoris familiarem, a nefario Spiritu exagitatum, ad Hilarionem in Syriam se contulisse, eique Syriace, et Graece respondisse, quamvis Germanica tantum, et Latina uteretur lingua, aliasque plane ignoraret. Tum a Palladio *c. 77. Histor. Lausiacae* refertur quaedam mulier Abbatis Posidonii precibus a Daemonis obsessione erepta, qui iussus signum aliquod sui discessus dare, totum aulae parietem a fundamentis evertit. Haec, aliaque his similia, quae passim apud Antiquos reperiuntur, nemo, puto, melancholici humoris ope praestari posse affirmabit. Quapropter, etiamsi adversariis libenter assentiamur, non raro ab Ecclesiasticis Scriptoribus Daemoniacos vocitatos fuisse, qui atra bili tan-

tummodo erant perciti ; cunctos tamen isto naturali morbo affectos fuisse , nullumque ex iis , quos veluti energumenos descripsit Antiquitas, vere a Daemone agitatum fuisse, id quidem probare nullo pacto licet . Quamquam quid ex hac sententia commodi capere possint Theistae , haud plane videmus : nam cum Daemoniaci illi , de quibus Auctores prisci loquuntur , Crucis signo , vel sola Divini Nominis imploratione illico sanitati fuerint redditi, aeque mirandum opus admittere coguntur , sive ab illis melancholiae morbum , sive Spiritum nefarium depulsum esse dicant . Verum alia plura , quae ad hunc locum pertinent , iam capite primo adnotavimus .

Alia insuper nos via aggrediuntur profani homines , praesidiumque sibi ex Sacris Literis quaerentes, Miracula obtendunt, quae Magi Aegyptii, teste Mose in Exodo, ediderunt , quaeque PseudoChristos , et Pseudoprophetas effecturos esse apud *Matth. c.* 24. Christus docet : tum vero statuunt , cum a Magis quoque , et a falsis Prophetis , Daemonis utique auxilio , prodigia proficisci possint , nullum nobis reliquum esse certum indicium , quo vera doctrina a falsa dignoscatur ; ideoque argumentum , quod a Miraculis peti solet , nullius esse ponderis, ac momenti . Quibus antequam respondeamus, animadvertere placet, ut olim a vetustis Ecclesiae Scriptoribus , ita recentiori aetate

te a Christianis Theologis de Daemonis potestate, quod ad Miracula attinet, quaesitum esse: praesertim vero de hac controversia acerrime ab ipsis Heterodoxis disputatum fuisse. Samuel enim Clarkius, cum *in lib. de Exist. et Attrib. Dei* Miraculum esse opus consuetis Naturae legibus contrarium scripsisset, Daemonem quaedam etiam, quae consueto Naturae ordini adversantur, efficere posse docuit. Sed hanc doctrinam peculiari opere Iacobus Serces impugnavit, veritusque ne iniuria Divinae Providentiae inferretur, si Miracula a Daemone fieri dicerentur, huiusmodi potestatem illi abiudicandam esse defendit. Cudworthus autem *in System. Intellect.* mediam viam secutus, virtutem Daemoni tribuit ea patrandi Miracula, quae eius vires minime excedunt; at negat hac potestate uti posse, ut Divina consilia, veramque Religionem oppugnet. Eandem fere tuetur sententiam Mosshemius in suis *ad Syst. Cudworthi animadversionibus*. Verum, omissa hac quaestione, de qua accurate sane egit, atque erudite Benedictus XIV. *lib.* 4. eximii operis *de Servo. Dei Beatif. et Canoniz.* illud tamquam omnino compertum existimandum est, a Daemone praestari ea non posse, quae totius creatae Naturae facultatem vincunt; cuiusmodi est, aliquid e nihilo educere, mortuos vitae restituere, etc: ea vero quibus Daemoniaca virtus,

et potentia haud impar est, quaeque nobis mira videntur, tunc quidem per malos Spiritus peragi posse, cum his minime ad erroris confirmationem abutuntur. Cum enim Daemones, quantacumque virtute pollere censeantur, Summi Numinis imperio subiiciantur necesse sit; valde Divinae interest Providentiae prohibere, ne ad falsam Religionem, pravamque doctrinam suadendam prodigia edant. Quam quidem in rem cum Theologis omnibus Catholicis etiam Haereticos conspirantes habemus: praeterquamquod id etiam ex ipsis Scripturis, ad quas provocant Theistae, apertissime eruitur. Nam cum Aegyptii Magi, ut ex *cap.* 7. *et* 8. *Exodi* habetur, tria priora Mosis Miracula imitati essent, alia tamen imitari non valuerunt; cumque ingenue dixissent: *Digitus Dei est hic*, ex ipsorum confessione manifeste cognitum est, quantum Daemonum praestigiis, quibus Magi adiuvabantur, Divina virtus, qua Moses munitus erat, antistaret. Ut igitur e rerum eventu tunc veritas a mendacio internosci potuit; ita prorsus, quotiescunque nefarii, ac deceptores homines et antehac ope Daemonum usi fuerint, et posthac uti velint ad falsam, per portenta Religionem invehendam, toties illorum conatus Divina Providentia et olim cohibitos esse, et de reliquo tempore cohibitum iri credere par est. Et quidem ex Evangelio, cuius auctorita-

ta-

tatem nobis opponunt adversarii, discimus ideo Miracula a Christo edita fuisse, ut per ea suae doctrinae veritatem firmaret. Etenim ipse Christus sic apud *Ioann. c.* 10. Iudaeis perfidiam exprobrans loquitur: *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et Ego in Patre*. Et apud eundem *Ioan. c.* 15. *Si*, inquit, *opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Quapropter cum Miracula veluti quaedam indicia, et signa veritatis adhibere decreverit Deus, omnes, quicumque rectam se sequi rationem gloriantur, persuasissimum habere debent, Divini esse consilii providere, ne Cacodaemones per prodigia homines decipere, et in Religionis negotio ludificari unquam possint.

Tandem aiunt nostra aetate nulla iam cerni Miracula; idque velut certum, atque exploratum principium assumentes, audacter inde conficiunt, nec ulla priscis temporibus exstitisse. Sed primo haud satis Dialecticae peritos se produnt adversarii, cum isto pacto ratiocinantur. Neque enim ex eo, quod nulla nostris temporibus conspiciuntur Miracula, illud sequitur, nulla quoque prioribus Ecclesiae saeculis fuisse: siquidem, prolata iam et quaquaversus diffusa Religione, haud ita nunc sunt necessa-

 ria,

ria , ut ad Ethnicorum animos flectendos ; et permovendos, initio erant Christianismi. Deinde quod dicunt , nulla nunc fieri Miracula , mendacium est apertissimum , quod ex recenti Historia satis confutatur. Nec porro ita leves , et inconsiderati sumus, ut omnia heic Miracula probemus, quae ab imperita multitudine, et rudibus hominibus facile creduntur , et temere iactantur. Sed cum etiam nunc in Ecclesia Miracula edi defendimus, de iis tantum loquimur, quae post diligentissimam , et accuratissimam inquisitionem vera reperiuntur ; cuiusmodi sane ea sunt , quorum Romae ratio haberi solet , cum de aliquo insigni pietate Viro in Beatorum album referendo agitur. Omnino vix enarrari potest, quam caute , quantaque circumspectione se gerat in hoc genere Romana Curia , quo errori, aut fraudi omnis plane aditus occludatur. Quod, ne quis nos temere asserere suspicetur, ex sola lectione laudati operis Bened. XIV. *de Serv. Dei Beatif. et Can.* ita se rem habere, abunde perspicere poterit. Verum quid ego ad huius rei fidem faciendam ex Historia testimonia conquirere coner, cum plurima perennia , et perpetua in Ecclesia prodigia adhuc videamus, quae cum sint publica , et omnium oculis subiecta , nullo indigent teste ? Nimirum , ut de aliis taceam, non pauca memorantur Catho-

tholici Orbis loca, quae vel liquescentis Martyrum cruoris, vel liquoris e SS. corporibus manantis Miraculis Deus illustrare voluit. Atque ad primum quod attinet genus, ne longinqua, et extera afferamus, praesto nobis est domesticum, et celebratissimum illud portentum, quod D. Ianuarii sanguis ebulliens pluries quotannis, maxima cum omnium civium, et exterorum admiratione, Neapoli spectandum praebet. Quod quidem mirandum opus licet Haeretici, ac Theistae omnibus machinis evertere adnisi sint; eorum tamen insani conatus, et vana molimina nil aliud egerunt, nisi ut illud magis expressum, atque illustre redderent: ut clare ex iis liquet, quae prae ceteris de hoc insigni prodigio *lib.* 4. citati operis egregie commentatus est Benedictus XIV. Illud tamen haud tacitum nobis relinquendum putamus, quod non pauci inquiunt, totam istam rem ad astutiam et fraudem Custodum Sanguinis S. Ianuarii esse referendam; nil enim magis rationi adversans unquam cogitatum fuit. Nam, ut omittam nullam plane utilitatem ex eiusmodi astutia illos sibi spondere posse, ideoqoe caussam deesse, qua ad moliendam fraudem homines impelli solent; cum a pluribus iam saeculis perpetuo Neapoli id mirum conspici detur, cuinam, quaeso, persuadebitur, tam longi temporis spatio semper aliis

„ sa aride ed asciutte, ma Bari le ha tutte gron-
„ danti di prezioso liquore (*). Duo haec prodi-

(*) *Ne quis severus nimis censor, criticusque intemperantior opponat, hunc liquorem nil esse aliud, quam humorem adlapsum extrinsecus ex sacrae aedis parietibus, observare iuvat S. Nicolai ossa Barii in loco sicco, et arido condita esse. Sane id affirmat Fortunius Licetus, Philosophus sui aevi sat celeber,* in de secundo quaesitis per epist. cap. 44. *ubi de perennitate roris e genu S. Nicolai manantis agens, caussas naturales inter alia sic excludit*: Denique vero si recipiant adversarii sententiam illorum, quibus tellus ad instar spongiae de mari combibit aquas, iisque veluti repleta turgens easdem evomat per ora fontium in perennes fluviorum scaturigines etc. verum enimvero neque propter istam naturalem caussam effluit e genu S. Nicolai liquor huiusmodi; nam eius ossa servantur in loco sicco. *Huc accedit, quod si secus se res habeat, explicari vix poterit, cur per septem integra saecula, quot scilicet ex eo tempore, quo Barium sacrum corpus translatum fuit, ad nostram usque aetatem effluxerunt, nemo unquam ex tot millibus non civium*

digia ; quibus nobilitantur , atque illustrantur quam maxime nostrae Regiones , non defuisse nostro etiam aevo Miraculorum gloriam ita evidenter ostendunt , ut adversariorum impudentiae , ac temeritati coercendae sufficere posse valde confidamus , Atque hactenus Theistarum obiectis adversus Miracula satis per nos factum videtur .

Sed

---

vium modo , sed exterorum quoque , qui ex omnibus terrae regionibus in illam urbem religionis caussa ventitare consueverunt , tam stultum errorem intellexerit , aliisque aperuerit . Sed et idem portentum praeterea evidentissima ratione ex eo ostenditur , quod Divi Nicolai corpus unguentum stillasse etiam Myris Lyciae Urbe , ubi primo tumulatum fuit , testatur Simeon Metaphrastes in eius Vita ; *quem centum et amplius ante annis , quam illius reliquiae Barium transveherentur, vixisse constat . Cuius quidem prodigiosi unguenti cum toto Oriente increbuisset fama , ob eam rem Manuel Comnenus* Novel. 2. de Feriis *S. Nicolaum appellavit εν θαυμασι περιωνυμον , και μυροβλυτην, idest* Miraculis celebrem , et unguento scatentem . *Itaque dubitari nequit , quin ipsa Divi Nicolai ossa mirifico rore scateant .*

Sed antequam finem postremo huic capiti imponamus, duo potissimum ex his, quae huc usque persecuti sumus, se nobis animadvertenda offerunt. Primum, ut initio monuimus, perspecta et cognita Miraculorum Christianismi veritate, Christianam quoque Religionem, ad quam confirmandam illa divinitus effecta sunt, veram necessario comprobari: nisi quis Deum putet mortalibus illudere voluisse, quod Divinae Naturae omnino repugnat. Alterum vero est, cum ex Miraculis liquido pateat, Deum revera hominibus locutum fuisse, ab eoque Christiana dogmata esse proposita, ea omnia tamquam certissima a nobis excipienda esse, quamvis ab intellectu nostro percipi, comprehendique nequeant. Nam cum ipsa ratio nos doceat, plurima a Deo fieri, cognosci, vel aperiri posse, quae nobis intelligere, complectique mente non liceat; Deum vero, utpote infinita scientia, et sanctitate praeditum, haec mortalibus patefaciendo, nec falli unquam, nec fallere: quid aliud, quaeso, foret rebus a Deo patefactis nolle assentiri, quam infinitam Dei potentiam, et cognitionem angustis oppido mentis nostrae finibus circumscribere, quasi nihil a Deo effici, nihil in ipso reperiri, nihil ab ipso monstrari possit, quod a nobis clare intelligi, et percipi non debeat? Atque huic profecto argumentationi maior vis, maiusque robur accedit,

dit, si consideremus plura esse naturae effecta, quae humani ingenii aciem prorsus fugiant. Quis enim e doctissimis etiam viris magnetis virtutem, gravitatis originem, gignendi vim in animantibus, arctissimam animi, et corporis coniunctionem, mutuumque utriusqoe actionum nexum, aliaque id genus, quae comperta sunt, nostrisque oculis obversantur, clare adeo, distincteque intelligere, et explicare queat, ut omnis plane dubitatio dispellatur?

Sed et Mathematicae disciplinae, quae certissimae, atque exploratissimae sunt, multa nobis ab intellectus lumine abhorrentia exhibent: ex. gr. Magnitudinem aliquam infinitam finitae cuidam magnitudini aequalem esse; finitam superficiem circa se circumactam infinitam magnitudinem progignere; duas lineas ad mutuum tactum semper propius accedentes, nunquam tamen coniungi, licet infinite protendantur; minimam materiae partem infinite secari, ac dividi posse, ceteraque huiusmodi. Quare si in rebus ipsis naturalibus plurima sunt adeo obscura, ut absurda esse videantur, nec tamen ea quis audet negare; nemo certe mirari debet, quaedam Christianae Fidei dogmata, quae minime ad rerum naturalium ordinem spectant, humanaeque rationis terminos praetergrediuntur, intellectu quidem esse difficilia, atque incomprehensa, attamen verissima, maximeque

que indubia , quippe quae Deus summe verax , et sapiens nos docuerit . Equidem caussam , quamobrem doctrinae divinitus traditae assentiri debeamus , haud esse rerum cognitarum perspicuitatem , verum unam Dei loquentis auctoritatem , meminisse omnes oportet . Itaque quemadmodum merito ridentur simplices , et imperiti homines , dum ea , quae de Siderum distantia , eorumque magnitudine praeclare ab Astronomis disseruntur , propterea credere detrectant , quod mente assequi non valeant ; ita sane , imo graviori , maiorique iure ridiculos se praebent falsi nominis Philosophi , qui infinitae Summi Numinis rationi suum exiguissimum , ac tenuissimum intellectum subiicere superbe recusant , atque *ut putentur sapere, Coelum vituperant* .

FINIS.